



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

Pars Secvnda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268



PARS SECVNDA.

CAPVT PRIMVM.

In quo respondetur primæ libelli parti.

SECTIO PRIMA.

De Monasterij S. Maximini origine & primis Incolis.

LIBELLI huius famosi Scriptoris propositum est, contra tanta & tam Illustria, quæ prima parte recensuimus, firmamenta asserere Monasterium S. Maximini Archiepiscopo Treuirensi, tam in Ecclesiasticis, quàm sæcularibus, non autem immediatè S. Sedi Apostolicæ & sacro Imp. Rom. subesse, atque hunc in finem principio tria ponit fundamenta; Primo, à S. Agritio conditum esse Monasterium S. Maximini, non autem à Constantino Magno eiusque Matre Helena; Secundo, id in territorio, prædio & fundo diui Petri ædificatum fuisse: Tertiò in illud introductos Sacerdotes, Archiepiscopis omninò subiectos, non autem Monachos. Harum autem assertionum probationem nullam adfert, nisi quod Archiuum & Annales Treuirenses id ita continere asserat: vti videre est à numero 4. vsque ad Num. 7. proinde vti ista, ita simpliciter & sine fundamento asseruntur: ita simpliciter à nobis negantur, neque enim vnquam vel probata sunt, vel probari potuerunt.

Quin immò, quamuis illa quæ allegantur, ita reuera se haberent, quod in æternum non probabitur, adhuc non sequeretur illa, quam inferre contendit Aduersarius, Monasterij erga Archiepiscopum, tam in Ecclesiasticis, quàm sæcularibus subiectio, vti mox §. 4. pluribus deducam.

Sed ego quidpiam abundantius præstabo, & hisce fundamentis omninò contraria per certissima testimonia Regum ac Imperatorum Sigillis inde à mille annis confirmata, sequentibus §§. demonstrabo.

§. I. Monasterium S. Maximini à Constantino Magno conditum fuisse.

HOc certissimo & indubitato Magni Francorum Regis Dagoberti Diplomate probatur quod integrum, subsignatum, & Sigillo suo munitum, autographum hodieque habemus, & quale est, supra proposui, in quo

Rex

Rex asserit se, post seriam rei inquisitionem certò intellexisse Monasterium illud olim fuisse Constantini Magni Regale templum, atque ab illo Imperatore redditibus ac fundis dotatum. Vide Diploma Num. 1. Quæ quidem tam deliberata ac grauis quæstionis istius decisio, omnem meritò, cuius æquo Lectori dubitationem tollere debet, sed nihilominus veritatem illam, ita ante mille annos iudicatam ac decisam, alijs pluribus autoritatibus iuuat confirmare ac stabilire.

Primò, pleraque Regum, Imperatorum ac Pontificum, quæ hic producimus Diplomata, ac Bullæ hoc ipsum confirmant. Vt Ottonis Magni Nu. 10. S. Henrici Num. 20. Conradi Salici Num. 21. Henrici Nigri Imperatoris Num. 22. Henrici Senioris Num. 27. Quibus hoc & superioribus sæculis Imperatores omnino consentiunt. Maximilianus I. Carolus V. Ferdinandus I. Ferdinandus II. augustæ memoriæ, quorum item Diplomata hinc exhibentur. Item Pontifices Maximi, Innocentius IV. Pius II. & alij, quorum Bullas integras in Originali habemus: qui vnanimiter positæ veritati adstipulantur, & prædictum à Constantino Magno eiusque matre S. Helena erectum, constructum, dotatum, eorumque iussu per Sanctum Agritium dedicatum S. Ioanni Apostolo declarant.

Secundò, idem à pluribus sæculis attestatus est Archiepiscopus Colonien- sis Conradus, cum anno MCCXXV. in Vigilia SS. Apostolorum Petri & Pauli templum S. Maximini instauratum consecrauit in præsentia Sigefridi Archiepiscopi Moguntinensis, Arnoldi Archiepiscopi Treuirensis, Richardi Episcopi Wormatiensis, Henrici Episcopi Curienfis &c. illud de concessione Apostolica Indulgentijs ornauit, expeditis eam in rem litteris Sigillo suo sub- signatis, sic ordientibus. *Conradus Dei gratia S. Colonienfis Ecclesie Archiepiscopus, Italia Archicancellarius, Notum esse cupimus &c. Monasterium S. Maximini &c. ab inclytæ recordationis M. Constantino imperatore & S. Helena matre eius, quæ inde Originem duxerat, fundatum pariter & Imperialis Munificentie magna liberalitate dotatum &c. Diploma eius habemus.*

Tertio, idem asserunt omnes omnino omniũ ætatum Theologi, Iuriscon- sulti, Historici, quotquot huius Monasterij meminerunt, Hæretici æquè ac Catholici, è quibus nonnullos hinc referre iuuat. Ita enim sensit Antonius de Yepes, in *Chronico S. Benedicti tom. 2. cent. 2. c. 2.* Cornelius Scultingius, Stein- withius, *Bibliotheca Ecclesiastica fol. 217.* Iodocus Coccius in *Dagoberto c. 22.* & in *Chron. Anno 642.* Petrus Merfæus Cratepolius in *Annal. Treuir. in Agritio.* Ioannes Schockmannus, in *lib. de S. Maximino passim.* Ioannes Bertelius, *Dial. 8. in Reg. S. Benedicti.* Martinus Magerus à Schönberg, *De Aduocatia armata c. 5. n. 167. vsque ad n. 178.* Michaël Buchinger, *l. 4. c. 14. pag. 143. in Hist. Eccl. sub Syluestro I.* Gaspar Bruschius, in *Monast. Germanie.* Marguardus Freiherrus Ju- risconsultus Electoris Palatini, in *Comm. ad Mosellam Ausonij pag. 17.* Rudolphus Hospinianus, *de Orig. Monachatus.* Bartholomæus Latomus Iurisconsultus E- lectoris Treuirensis, *libello de bello Singkingano reperitur to. 3. Rerum Germanic. apud Scardium.* Franciscus Irenicus, in *Exeg. Germ. lib. 12. litt. T. in Treueri Nic.* Georgius Pauillon, in *Notis ad Histor. Luxemb. VVigneri c. 2. Nota. A.* Guilielmus Kyriander, *Annal. Treuir. parte 3.*

Quoniam verò pro fundamento assertionis suæ, libelli Auctor citat Archi- uum & Annales Treuirenses, vtamur Armis Aduersarij, & ijs, quæ ipsemet concedit, quamuis alioquin sint exigui valoris, neque in illis quæ contra nos faciunt, ijs adhæreamus, neque adhærere teneamur; sed quid in Annalibus

prædi-

prædictis contineatur, videamus, de Archiuij enim documentis & Cella Hilarij postmodum agetur.

Annales igitur Treuirenses, cum de Monasterij prima fundatione loquuntur, habent sequentia, *Agritius, numero fidelium crescente, Basilicas erigit, & ex Palatio Regina Helena Ecclesiam in honorem Principis Apostolorum Petri, de qua superius dictum, construxit & consecrauit. Construxit præterea (meliùs hîc & superius dixisset, aptauit, cum & hodie fabrica S. Petri sit eadem, quæ fuit Palatium Helena, & solum addito utroque choro & pilis, prophana ædes in sacras commutata sint) petitione Helena Regina, præcepto verò Constantini, filij eius Imperatoris ex eius Regali templo Ecclesiam in campo Martis, dicans eam honori S. Iohannis Apostoli & Euangelista. Fuit autem idem locus antea regale templum ipsius Constantini, euersisquæ idolis & cultura eorundem, erecta fuit ibidem Religio Christiana Monachica sub Regula Orientalium Monachorum, quibus idem Imperatorum victualia largiter ministravit. Et paulò post, in victualia autem eiusdem sanctæ congregationis contulit idem Imperator Mertheditum (Martis haud dubie curiam hodie Mercert) curiam cum suis appendicijs, & quidquid intra milliare bannitum continetur regia traditione. Et mox iterum: Fuit autem idem Monasterium per dictum Constantinum sumptum sub Imperatoria potestate, & in succedentia secula Imperatoribus, vel Regibus Romanorum subiectum, & eorum mundiburdio subditum. Et sicut in temporalibus, Romanorum Imperatoribus, sic in spiritualibus, Romanorum Pontificibus subiectum est. Abbas huius loci exemptus, eligitur quidem canonicè per fratres, sed à summis Pontificibus confirmatur.*

Ita Annales Treuirenses MCCC. qui nobis olim à Viro Magno summæ ædis Treuirensis Decano communicati fuerant, neque enim ij fere reperiuntur nisi apud Magnates.

His placet adijcere, quid in libello intitulato *Medulla gestorum Treuirensium, seu Extractum Chronicorum Treuirensium*, dicat Ioannes Enenius Episcopus Azorensis, Richardi Treuirensis Electoris suffraganeus, summæ ædis Treuirensis Ecclesiastes. Sic enim partis 3. c. 6. prædictæ Medullæ, præmissis hoc titulo, *Von S. Maximin die 4. heufftirche* prosequitur. *Diss. Kloster ist S. Benedictus Orden vnd reformirt / vnd hat ein gefürsten Abt / welcher sein Confirmation vom Pappst emp / ahret: vnd ist genant S. Maximins Kloster vmb des lieben Heiligen willen. Sunst ist die Kirche gewenes in der Ehren S. Iohannes Euangelisten / vund liegt außwendig der Statt von Trier in dem Flor Martis / vnd ist gewesen ein Königlische Wohnung des grossen Käyfers Constantini, eines Sohns der Heiligen Käyserinnen Helena / welches er durch biethe / der festgedacht Käyserinnen Helena seiner Mutter durch den Heiligen Antiochischen Patriarchen Agritium von S. Syluestro ein Erzbischoff zu Trier gemacht / derhe consecriren in ehren S. Johans Euangelist / vund Stiffe er darin Mönche. Aber sekundt halten sie die Regel vnd Orden S. Benedicti, vnd ist gar ein herrlig Kloster mit vilen Priuilegien vnd Freyheiten durch die Römische Käyser vnd Päpff begabt. latinè sic vertitur. *Hoc Monasterium est Ordinis S. Benedicti & reformatum, habetque Abbatem Principem, & nuncupatur Monasterium S. Maximini, propter hunc ipsum Sanctum, alioquin templum consecratum est in honorem S. Iohannis Euangelista, & situm est extra Ciuitatem Treuirensis in campo Martis, fuitq. Regium Domicilium Constantini M. Imperatoris, filij S. Imperatricis Helena, quod ad petitionem iam memorata Imperatricis Helena suæ Matris per sanctum Antiochenum Patriarcham Agritium, à S. Syluestro Archiepiscopi Treuirensis creatum, fecit consecrari in honorem S. Iohannis Euangelista, & fundauit in eo Monachos, sed nunc obseruans Regulam & ordinem S. Benedicti, & est præstant Monasterium, mul**

tis priuilegijs & immunitatibus per Romanos Imperatores & Pontifices ornatum.

Et ne leuiter hæc dicta ab Euenio existimes, scias libellum hunc Metis anno MDXIV. sumptibus Matthiæ Håne Bibliopolæ Treuirensis impressum apud Casparum Hochfeder/ permissione & concessione Archiepiscopi Treuirensis Richardi (cui etiam Libellus inscriptus est) vt patet ex libelli initio & fine.

Inunc scriptor & dic Annales Treuirenses referre, quod S. Agritius Ecclesiam S. Maximini in fundo S. Petri ædificãrit. Nam vnde quæso illo tempore, quo Ecclesia Treuirensis grauissimis Diocletiani & eius Præfecti Rectionari Vastationibus exhausta, vix dum respirabat, S. Agritio Antiocheno tantæ opes, vt Ecclesias eiusmodi ædificaret & dotaret? Animam magnus ille Sanctus auream, pedum ligneum & eburnum, vti illo æuo solebant Episcopi, gestabat. Constantini Magni Imperatoris opus illud fuit, qui vti Romæ & alibi, ita Treuiris quoque Palatia prophana in Ecclesias transmutari iussit. Quem cum fatearis fuisse benefactorem, quid quæso causæ adferre potes, Cur non agnoscas & fundatorem huius Ecclesiæ?

At inquis, Annales dicunt S. Agritium ex Palatio construxisse Ecclesiam S. Ioannis. Quid tum postea? Eodem loquendi modo vsus est author Annalium, cum dixit Ecclesiam Metropolitanam à S. Agritio è Palatio Helenæ constructam, an tu inde concludes illam à Sancto ædificatam? non opinor, sed prophanium templum vel Palatium vsibus sacris aptatum, hac loquendi forma scriptores indicant.

S. II. Non fuit conditum præfatum Monasterium in territorio vel fundo S. Petri.

CVM ex autographis siue Originalibus Dagoberti aliorumque sequentium Regum & Imperatorum Diplomatis iam ostensum sit, Monasterium S. Maximini olim fuisse Regale templum & Basilicam quandam Constantini M. Deo per S. Agritium dedicatam, quis credat Annalibus Treuirensibus, aut quibuscunque alijs testimonijs, si asserant illud conditum fuisse in prædio seu fundo S. Petri, nisi solidissimis æquè ac Originalibus documentis prætenta ea assertio sit subnixa, quæ nunquam, vti ex dicendis patebit, profertentur.

Equidem meminisse oportet eius, quod paulò ante attigimus, Templum Metropolitanum S. Petri à S. Helena Imperatrice originem eodem tempore, quo Maximinianum S. Ioannis Apostoli, duxisse (sedes enim Episcopalis ante ista tempora in S. Eucharij Cella, hodieque S. Matthiæ, fuerat) & vtrumque sub Constantino M. ad instantiam Matris Imperatricis à S. Agritio magnis illis Apostolis Petro & Ioanni fuisse consecratum. Ita habent Annales Treuirens. supra allati, fauet traditio, & picturæ antiquæ templi Metropolitanæ. Quis verò credat fundum in quo Basilica Constantini Imperatoris structa erat, Iurisdictioni Ecclesiæ S. Petri, quæ Palatium Helenæ Imperatricis fuerat, subiectum fuisse? si qua inter has duas Ecclesias subordinatio aut subiectio imaginanda foret, nonne potius Imperatricis fundus Imperatoris Basilicæ subditus fuisset, quàm è contra.

Quid si verò dicamus, Ecclesiam S. Ioannis Euangelistæ priùs à S. Agritio sub Constantino M. dedicatam, quàm illam S. Petri, quo argumento, aut quibus testimonijs nos acutè Scriptor conuincas? militabit sanè pro nobis probabilis ratio, quia æquum erat & decens prius Imperatoris Palatium dedicari, quàm Imperatricis. Hoc verò posito: quomodo tueberis id, quod dicis, à S.

Agritio

Agritio Ecclesiam S. Ioannis in fundo & territorio S. Petri ædificatam. An nobis persuadebis territorium Ecclesiæ S. Petri fuisse, antequam esset Ecclesia S. Petri? Ad hæc, non modo probandum tibi incumbit, quod Ecclesia S. Petri prius, quàm illa S. Ioannis fuerit dedicata, verùm etiam, quòd illo tempore, quod grauiissimis persecutionibus Diocletiani & aliorum Tyrannorum proximum erat, Archiepiscopi Treuirenses Iurisdictionem temporalem & territorium ei respondens, habuerint, in quo demonstrando non modicè, mi Scriptor, desudabis.

Certè si coniecturis, qualibus tu n. 5. niteris, momentum in re tam graui tribuendum foret, longè apparentiores ex prima Metropolitana & Maximiniana Ecclesiæ origine pro nobis reperirentur, quàm pro tua præensione, sed tam labilibus & leuibus argumentis, nos immediationem in temporalibus, & exemptionem in spiritualibus non stabilimus; sed certis, veris ac solidis iisque originalibus Imperatorum ac Regum Diplomatis, Decretis, Sententijs, ac rebus iudicatis, quorum veritate & certitudine omnes præsumptionum ac coniecturarum vmbra dissipantur, vt tenebræ ex oriente sole.

S. III. *Primos Monasterij S. Maximini incolas fuisse Religiosos.*

ID luculentè decernit Dagobertus Rex in sæpe citato Diplomate sub Nu. 1. Quid enim aliud indicant sequentia eius verba, *Imperator pauperes Christi congregauit, eisque virum Dei Ioannem præposuit, vt in seruitio Dei semper vacarent, & pro se orationibus insisterent.* Omnia hæc Religiosos illos fuisse clamant, nam pauperes Christi erant, & congregati, idque sub vno superiore Præposito vel Abbate, consequenter obedientiam & paupertatem profitebantur, quæ sine castitate subsistere non poterant; finis etiam indicatur, qui vnicus Religiosis illius temporis præscriptus erat, contemplatio summi boni, ac diuinum seruitium, iugisque oratio. Nam, vt ex Ecclesiastica Historia notum est, Religiosi & Monachi illius ac sequentium sæculorum Sacerdotes non erant, sacramenta non administrabant, populum Christianum non docebant, vnde illa Hieronymi, *ad Riparium contra Vigilantium, & Epistola 1. ad Heliodorum, vide can. Placuit & seqq. 16. q. 1.* aliorumque PP. ac Ecclesiæ DD. Monachus, non docentis, sed plangentis officium habet, Item Clerici pascunt oues, Monachi pascuntur &c. Omnia itaque ad Religionis essentiam requisita in supradictis reperies, finem status Religiosi, & tria essentialiter ad illum requisita. Paupertatem, Castitatem & Obedientiam.

Hoc ipsum quoque non obscure significat id, quod ait, Virum Dei Ioannem pauperibus Christi Præpositum; fatentur autem ipsi Annales Treuirenses, quos pro suo fundamento Scriptor libelli citat, Ioannem illum fuisse Monachum Orientalem, nimirum Antiochia Vrbe Syriæ profectum, ac deinde Roma ad petitionem S. Helenæ à S. Agritio Treuiros deductum. Antiochiæ verò illo sæculo floruisse Monachismum constat ex Hieronymo, Theodoro aliisque prisce & recentioribus Scriptoribus. Dicere iam in illo S. Ioannis Cænobio collocatos fuisse Sacerdotes non religiosos (quod certum dicit esse author Libelli) eisque præpositum fuisse Ioannem Monachum, quid hoc aliud est, quàm maximam indecentiam in Ecclesiastica Hierarchia admittere & ignorantiam summam sacræ historiæ ac Iuris Canonici profiteri? Nam in Ecclesia Regulares non imperant clero sæculari.

At in quis, illo tempore non fuerunt Monachi in Gallia, sed in clarescente S. Benedicto circa Annum Christi DXLVII. primùm introducti sunt in S. Maximini domum.

Hoc sine vlllo fundamento assertum, omnino negatur, & non modo ex citato Dagobertino Diplomate, verum etiam alijs testimonijs constat, in Gallia fuisse Religiosos siue Monachos ante tempora S. Benedicti. Ex sacra historia notum est, S. Magdelenam & Martham apud Massiliam in ipsis exordijs Ecclesiæ vitam Monasticam egisse, si sceminæ id præstiterunt, quid sentiendum est de viris? Hilarium certe Pictauiensem Episcopum, qui eodem sæculo quarto vixit, quasi Monachi vitam duxisse accepimus, & Martinum Turonensem ab eodem Hilario institutum, inter Monachorum Greges vixisse Sulpitius *lib. de vita S. Martini c. 4. 5. 6.* ei coætaneus, Fortunatus *lib. 1. de S. Martino*, alijsque testantur, & circa Annum CCCLXXX. Abbatiam Lirinensem in Gallia Narbonensi fundatam à S. Honorato & Monachos ibi introductos, habet Vincentius Baralli *in Chronico Lirinensi*. Et quod maximè Maximinianos concernit, Historiæ ac Annales tam Treuirenses, quàm Maximiniani consentiunt ac testantur, S. Fibiitium ex Monacho & Abbate S. Maximini assumptum fuisse ad Archiepiscopatum Treuirensis, idque ante Annum Domini D. fuisseque in ordine Abbatum, nonum. Constat certè S. Benedictum eo tempore necdum propagasse sacrum institutum suum in occidente, cum teste Baronio *in Martyrologio ad 21. Martij lit. a.* Anno CCCCLXXXIV. demum petierit desertum, & deinde post annum Christi D. ordinem suum instituerit & propagarit vsque ad Annum DLII. quo tempore obiit.

Sed quid dicet Scriptor Anonymus, si producam informationem, non ita pridem ab Archiepiscopi Mandatario Bruxellis SS. Belgarum Principibus oblatam, in qua asseruit Anno Domini CCCXLVIII. dum sacrum S. Maximini corpus Pictavis in templum S. Ioannis Euangelistæ inferretur, illi Cœnobia præfuisse Tranquillum Abbatem & Monachum?

Certè si vidisset & legisset, quæ antehac in Imperatoris ac Principum aulis à Treuirensibus in hac causa exhibita fuerunt, sustinisset calumiam reor, neque loco Monachorum, Sacerdotes Archiepiscopis subiectos à S. Agridio in dicto Monasterio collocatos, ita leuiter & sine probatione asseuerasset.

S. IV. Scriptor Libelli ex falsis assumptis etiam male concludit.

EX dictis, æquo Lectori Manifestum est, auctorem libelli à vero aberrasse, dum asseruit Monasterium S. Maximini à S. Agridio Archiepiscopo conditum, in territorio S. Petri ædificatum, in illud, non Monachos, sed Sacerdotes introductos. Verùm, quamuis hæc omnia subsisterent, quod non conceditur, non continuò sequitur dictum Monasterium Iurisdictioni Archiepiscopi subiectum fuisse aut esse.

Parum enim refert, à quo Monasterium illud conditum sit, si certum sit illud solis Imperatoribus & nulli alteri Ecclesiæ vel personæ fuisse subiectum, vti supra demonstratum. Item siue Monachi fuerint primi eius incolæ, siue Sacerdotes alij, æquè poterant à Summis Pontificibus & Imperatoribus ab omni Archiepiscoporum Iurisdictione eximi.

Denique nihil noui est, Monasteria aliqua intra fines territorij, seu in ipso

territorio alicuius Episcopi construi & ædificari, & tamen illi non subijci. Toti Imperio notum est, in Territorio Episcopi Augustani, imò in ipsa Ciuitate, in qua Episcopi sedes est, esse Monasterium S. Vdalrici, prorsus ab omni eius Iurisdictione temporali exemptum. Similiter constitutum est Monasterium S. Emmerani in Vrbe & territorio Ratisbonensis Episcopi, & Monasterium Petershausanum in Vrbe & territorio Constantiensi, & innumera alia toti Imperio notissima, quæ superfluum est referre.

Clarum igitur est ex prædictis tribus assumptis nullo modo inferri posse, quod Monasterium S. Maximini vllò vnquam tempore, vel vllò modo fuerit Archiepiscopo subiectum, sed solidioribus longè argumentis opus est, vt persuadeat Scriptor libelli, quod ita securè dicit, certum esse, Sacerdotes primos istius sacri loci incolas Archiepiscopis fuisse subiectos. Et quia sumus in possessione, nobis per sententiam Cæsaream confirmata & adiudicata, validioribus opus est argumentis & firmamentis, quàm sunt ea, quæ pro Maximinians prima parte sunt allata.

SECTIO SECVNDA.

Diploma Dagobertinum prætensum refutatur.

EX Archiuio Treuirensi probationes auctor libelli proferre incipit, Dagoberti nimirum & Sigeberti Regum, aliorumque prætenfa quædam Diplomata, quorum tenore Archiepiscopo Iurisdictionem in Monasterium S. Maximini, relictam & confirmatam fuisse præten dit. Notat etiam circa illa, Dagobertum non fuisse fundatorem S. Maximini, sed illius sacri loci benefactorem. Ad hæc Christianissimos Francorum Reges nihil Iuris debere in præfato Monasterio nostro præten dere, quamuis barbaros olim è ditionibus Treuirensibus eiecerint, quæ ad institutum scopum nostrum non pertinent quidem, sed tamen infratangentur. Atque hæc summa est eorum, quæ auctor sæpè dictus habet à num 7. vsque ad 12.

Quia verò Dagobertinum illud Diploma præten sum, quoddam velut fundamentum est, quo reliqua subsequencia videntur niti, ideoque illud accuratius hac sectione excutiendum est, proderit in conspectu & coram habere, quale auctor libelli, id exhibuit sub l. A. & est eiusmodi.

Diploma Dagoberti Regis Francorum de Anno DCLIII.

DAGOBERTVS Rex Francorum, Viris Illustribus, Ducibus, Comitibus, Domesticis, & omnibus agentibus, tam ultra, quàm citra Rhenum vel ultra Liguriam, tam absentibus, quàm presentibus. Illud ad augmentum vel stabilitatem Regni nostri, sine dubio, in Dei nomine credimus permanere, si Sacerdotum vel Ecclesiarum Dei, rectis petitionibus annuentes, id, quod nostris auribus patefecerint, perducimus ad effectum: ideoque Vir Apostolicus, Pater noster, Dominus Modoaldus Archiepiscopus Ecclesie Treuericae, præceptum afferens ad Nos, præceptionibus Prædecessorum, Anteriorum Regum, parentum nostrorum, Sigeberti, Theodeberti, Theoderici, imòq; bonæ recordationis Hlatharij, gloriosi Regis, Genitoris nostri, manibus roboratum, in quo erat insertum, quod non solum idem Genitor noster, verum etiam præfati Prædecessores eius. Reges videlicet Francorum, omnes rei quascunque boni

& sancti Viri, pro diuina contemplationis intuitu, ad partem S. Petri Treuirensis Ecclesie delegauerunt, suorum praeceptorum auctoritate confirmarunt, quatenus eorum Regnum superno auxilio tueretur, & postmodum ipsi in aethereo Regno, cum Christo sine carente, gaudere possent; itaque pro rei firmitate, idem praefatus Praesul Modoaldus deprecatus fuit sublimitatem nostram, ut paternum ac Praedecessorum morem sequentes, huiusmodi nostra auctoritatis praeceptum, ob amorem Dei, & reuerentiam S. Petri, de eisdem rebus iuberemus fieri, cuius petitioni libenter assensum praebuimus, & hoc nostra auctoritatis praeceptum, erga ipsam Ecclesiam, pro diuini cultus amore & anime nostra remedio fieri decreuimus, per quod praecipimus atque iubemus, ut omnes res, vel facultates ad Ecclesiam S. Petri Treuerica Urbis pertinentes, scilicet Cellam S. Hilarij, qua nunc appellatur S. Maximini, qua est in praedio S. Petri constructa, & cellam S. Paulini & S. Eucharj, & Monasterium S. Mariae, quod idem praefatus Pontifex Modoaldus, in territorio S. Petri nuper à fundamento construxit & vocatur Horrea, Basilicamq; S. Martini sitam in pago Maignensi, & ceteras Basilicas, Castella, Vicos, Villas, Vineas, syluas homines, vel quicquid largiente diuina clementia, deinceps ad eandem augmentandam Ecclesiam tribuetur, circa Rhenum & Ligerim fluuium in regno nostro consentientia, omnia sub iure & potestate S. Petri Treuirensis Ecclesie, eiusque Pontificis perpetualiter mancipata permaneant. Praeterea pari modo etiam Statuimus, ut nullus ex publicis iudicibus, vel aliquis ex Iudiciaria potestate in Monasteria, Ecclesias, Castella, Vicos, vel agros, loca seu reliquas possessiones praedictae Ecclesiae, tam ultra, quam citra Rhenum vel Ligerim fluuium, in pagis vel territorijs, qua infra potestatem Regni nostri, memorata possidet Ecclesia, vel qua deinceps in iure ipsius sancti loci voluerit diuina potestas augeri, ad causas audiendas, vel freda, aut tributa, aut coniectos aliquos exigendos, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiae disstringendos, vel iniustas exactiones inquirendas, vel teloneum exigendum, nostris & futuris temporibus aggredi audeant, vel ea, qua supra memorata sunt, nequaquam penitus exigere praesumant. Sed liceat memorato Praesuli, suisque Successoribus, omnia praefata Monasteria, Villas, Vicos & Castella cum suis adiacentibus, integre perpetuo tempore, pro remedio anime nostrae, seu parentum nostrorum, sicut in praecipuo pyssimi Genitoris nostri continentur, quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere Imperio. Sed ut hoc nostra auctoritatis praeceptum, plenior in Dei nomine obtineat vigorem, & à fidelibus Sanctae Dei Ecclesiae, nostris videlicet, praesentibus & futuris temporibus, verius credatur, & diligentius à Successoribus nostris conseruetur, manu id propria cum Luidis nostris subterfirmuimus, & annuli nostri impressione signare iussimus. Data Anno Incarnationis Dominicae DCXXXIII. Regni XII. Dagoberti Rex Francorum. (L. S.) Cunibertus gratia Dei Coloniensis Archiepiscopus. Abbo Metensis Episcopus. Principius Spirensis Episcopus. Pipinus Maiordomus.

Verum hoc qualecunque Diploma nihil omnino contra nos efficere, sequentibus § §. ostendam.

S. I. Generalis exceptio contra hoc, aliaque Diplomata.

OTTONIS Magni Imperatoris sententia contra Ruotbertum Archiepiscopum lata, quam parte prima attulimus, vim auctoritatemq; omnem Diplomati huic, alijsque similibus, si qua producantur, abstulit: fuerunt in illo totius Imperij Conuentu & Iudicio omnia Archiepiscopi ac nostra Diplomata ac Documenta visa, examinata, discussa, Sententia pro nobis lata est,

à qua

à qua recedere nobis animus non est, aut rem semel tanto cum iudicio à tanto Imperatore decisam in dubium vocare.

Atque hæc quidem peremptoria rei iudicatæ exceptio vim omnem, tam huius prætensi Dagobertini, quàm omnium aliorum Diplomatum, quæ deinceps proferentur, vel proferri possent, elidit ac profligat. Ex abundanti nihilominus, diuersas alias causas ostendam dicta Diplomata penitus refellentes.

§. II. Maxima illius Diplomatis variatio, fictitium illud esse demonstrat.

NON extitisse vnquam tale, quale exhibetur Dagoberti Diploma, multa sanè, eaque graua argumenta conuincunt.

In primis mira quædam illius varietas & inconstantia; quoties enim in Iudicijs, conferentijs, Principum aulis, exhibitum fuit, semper sub diuersa specie apparuit, indicium manifestissimum nullitatis illius.

Nam principio passim allegârunt Diploma hoc fuisse cum aureo Sigillo Dagoberti (in quo campus lilijs confitus) & cum quinque alijs cereis Sigillis, quorum tria referentia icones Episcoporum sedentium; affirmabant esse Sigilla Cuniberri, Abbonis, Principij, Colonia, Metis, Spiræ respectiue Episcoporum; duo autem reliqua, Arnulphi & Pipini, huius quidem dictabant esse illud, quod scuto fascia munito insigniuerant: illius verò alterum, quod cruce & carbunculo ornabatur. Ita illud refert Roserius, *in Stemm. Lotharingien. i.*

Sed cum Dagoberti ævo scuta eiusmodi non videantur fuisse vsitata, sed posterioribus demùm sæculis introducta, teste du Tillet Parisiensis Parlamenti Graphiario, alijsque authoribus (nam effigies Regum Sigillis imprimebantur, uti ex plurimis Originalibus antiquis constat) scuta illa tanquam suspecta omiserunt, uti in Dagobertino supra posito videre, & solum exhibuerunt textum prætensarum Dagoberti literarum.

Verùm & illum ipsum mirè, & non nisi in inconstantia constanter mutârunt, in quibusdam instrumentis, & copijs, ut afferebant authenticis allegatis in conferentia cum Luxemburgensibus, habebantur hæc verba, *Data IV. Kal. Augusti, anno ab incarnato Domino DCXXXIII.*

Verùm cum vidissent se hîc in Chronologiam impingere, quod Dagobertus eo tempore Rex non esset, cum Anno DCXXXI. regnare cœperit, idcirco in alio Exemplari, quod Ioannes Archiepiscopus tanquam authenticum ex *Ernbreitsstein* Anno MDLXIV. ad Ducissam Parmensem misit; & in alio, quod item tanquam authenticum Lotharius Archiepiscopus misit Treuiris Anno MDCXII. ad Archiduces Albertum, & Isabellam, omiserunt diem & annum Datæ.

Sed cum & inde oppugnaretur Diploma, ut pote præter morem nulla habens Datæ tempora, tandem in exemplo, quod modernus Elector exhibuit velut legitimum, quodque suo libello scriptor inseruit, omiserunt quidè Diem Datæ, annum tamen posuerunt, sed immutatum, & quidem in eum, ratione cuius videbant sibi nihil opponendum, nisi & Maximinianum Diploma quis simul oppugnare vellet; inscripserunt enim annum *Data XII. Regni Dagoberti*, prout viderant haberi in Diplomate Sancti Maximini; ne tamen viderentur omnino ex alieno id exscripsisse, addidèrunt annum Christi (qui in Maximiniano non est, nec esse in vlllo potest, nisi vitiosè, ut mox dicetur) scilicet An-

num DCXXXIII. quem didicerunt ex Baronio, & accuratioribus recentiorum calculis, anno XII regni Dagobertini respondere, nequaquam ausi apponere Annum Christi ulteriolem, ne forte post mortem Dagoberti Datam ponerent, cum magna sit controuersia hodie de Anno mortis Dagoberti. Noua autem manu in prætenso Diplomate Dagobertino esse annum XII. regni Dagoberti appositum, inde probatur, quia Christophorus Brouerus, qui accuratè Archiuum Treuirensè voluntate Archiepiscoporum peruidit, in exemplari prætenfi Diplomatis Dagoberti, quod exhibet, nihil ponit, sed asteriscis & stellulis in spatio vacante locatis, fatetur satis nullum fuisse annum ijs in exemplis, quæ velut authentica offerebantur.

Verùm non minor est in alijs rebus mutatio. In primis exemplis, quæ annum Christi DCXXXVI. in Datâ præferrebant, inter subscribentes cum Dagoberto posuerunt etiam *Arnulphum Ducem Austria Mosellanicæ*, at cum annus is Datâ displiceret, vt iam dictum est, neque Arnulphus posset tanquam Dux Austria Mosellanicæ posterioribus annis poni (nam vt ex Flodoardo & certis documentis patet, circa annum DCXXXV. Arnulphus fuit Episcopus Metensis & iuxta probatissimum calculum M. Meurisiæ in *historia Metensi cap. 2. in S. Arnulpho. S. Arnulphus Metensem Episcopatum suscepit anno DCXXXIV. deposuit eundem factus Eremita anno DCXXXIX. mortuus anno DCXLI. Aug. XVI.*) alias ingressi vias, ne in graue absurdum impingerent, & duos Episcopos Metenses contra omnem historiæ Metensis veritatem eodem tempore ponerent, vel Arnulphum pridem Episcopum, vel etiam quod absurdius, Arnulphum Eremiticam cum S. Romarico in vosago profitentem, facerent Ducem & Principem sæcularem, Arnulphum deinceps omiserunt, tam in Exemplo prætenfi Dagobertini, quod Ioannes Archiepiscopus supramemoratus ex *Ehrenbreitstein* præmemorato tempore ad Ducissam Parmensem misit, quàm in eo, quod in Camera Spirensi nuper, & modò ab hodierno Episcopo editum scriptor libello inseruit.

Sed nec in reliquis constantiam seruare potuerunt. In primis copijs habebatur *Cunibertus Archiepiscopus Coloniensis*. In copia à Ioanne Ducissæ Parmensi submissa, sicut & in submissa à Lothario ad Archiduces Albertum & Isabellam tantum habetur *Cunibertus Coloniensis Episcopus*, sicut etiam in copia exhibita in conferentia cum Luxemburgensibus anno MDCXV. & XVI. In copia moderni Archiepiscopi, sicut in processu Spirensi edita habetur, *Cunibertus gratia Dei Coloniensis Archiepiscopus*, in copia ad Archiduces submissa habetur, *Modoaldus Episcopus Ecclesiæ Treuirensis*; in exhibitis in Spirensi processu *Modoaldus Archiepiscopus Ecclesiæ Treuericæ*. In submissa ad Archiduces legitur, *Præceptionibus prædecessorum anteriorum Regum*; in Spirensibus, *Præceptionibus prædecessorum Regum*. In submissa ad Archiduces, *Adeandem attinentia Ecclesiam*. In Spirensibus, *Adeandem augmentatur Ecclesiam*. Quis textus conformior veritati & stylo temporum Dagoberti, aliorum sit iudicium; certum est, aut hoc prætensum Diploma à Dagoberto nunquam expeditum est, aut vno modo, & vna via expeditum est.

Sed & in Pipino subscribente non minor est inconstantia, in primis copijs scribatur *Pipinus Maiordomus Dux Hasbaniæ*. In submissis ab Archiepiscopo Ioanne omittitur, sicut etiam in exhibitis anno MDCXV. & XVI. in conferentia cum Luxemburgensibus, & in submissis à Lothario ad Archiduces. Verebantur fortè ne mortuo subscriptionem assignarent; at cum ex hodiernis criticis satis constet Pipinum superuixisse, post Dagobertum, in copia moder-

ni Archiepiscopi, sicut & in ea, quam Camera Spirensi obrulerunt, ponitur *Pipinus Maior domus*, sed sine veteri appendice, quæ erat in prioribus copijs, *Dux Hasbania*. nam an apud coætaneum Dagoberto scriptorem reperiretur Hasbania Ducatus, non parua esse poterat controuersia, cum posteriores temporibus nepotum Caroli M. tantum meminissent Comitatum Hasbania.

Omitto plurimas alias immutationes & variationes (huiusmodi non nemo Vir magnus solus quatuordecim obseruauit) quibus Diploma illud, mollis ad instar ceræ in figuras innumeras efformatum fuit, ne tædium lectori ex minutijs illis oboriatur. Ex quibus omnibus efficaciter colligitur, præsum illud Dagoberti Diploma nunquam extitisse, vel certè non tale extitisse, neque, id quod obtenditur, fidem mereri. Veritas enim inuicta semper sibi similis & constans est. Et ex sequentibus etiam magis illud apparebit.

s. III. Ex alijs indicijs ostenditur Dagobertinum tale non extitisse.

PLura alia indicia deprehenduntur in prætenso dicto Dagobertino, quæ planè demonstrant illud tale, quale exhibetur nunquam fuisse, & proinde omnem illi fidem denegandam.

Primò, quia ponitur in illo Annus Incarnationis Domini, sed manifestè constat ex historia, Dagoberti ætate & multo etiam post, vsque ad Caroli M. tempora, expeditas non fuisse à Regibus Francorum litteras, adscriptis Incarnationis Domini annis. In testes appellantur omnes, quotquot viderunt veterum litteras, & ij signatè, qui Dagobertinas aliquas in Originali tractârunt, quos inter, sunt Domini Præsides & Assessores Camera Spirensis, quibus Weissenburgense Diploma Dagobertinum non pridem in Originali exhibitum fuit, prout & olim bina Weissenburgensia Diplomata Dagobertina Haganoæ Maximiliano I. Imperatori, eiusque filio Philippo in frequentissimo Procerum cætu, Anno MDV. sunt exhibita in Originalibus à Rudigero ultimo Abbate Weissenburgensi, & primo ibidem Preposito, contendente cum Philippo Palatino Comite Rheni. Hæc omnia Diplomata nullos habuerunt inscriptos annos Incarnationis Domini, nec habebunt vnquam, nisi ab infida manu addantur.

Quod si per otium libeat videre Diploma antiquum immunitatis à S. Germano, non multum ante tempora Dagoberti Datum, cuius etiam Originale extat, reperies ita conclusum, Actum Parisijs Ciuitate, sub die duodecima Kalendar. Septembris Anno quinto Domini Chariberti Regis, vide illud apud Amoinium, *in Dagoberto post cap. 20. pag. 189. & seqq.* prorsus eodem modo Regium nostrum Dagoberti Originale Diploma finitur. Vide etiam Dagoberti Diploma Parisiense, apud Aubertum Miræum, *in Notitia Ecclesiarum Belgij lib. 6.* & aliud Dagoberti Cameracense apud eundem Miræum, *lib. 2. Donat. Belgie. cap. 1.*

Secundo, quia nomen Dagoberti in prætenso Diplomate habetur ad longum exscriptum, hoc modo, *Dagobertus Rex*, cum tamen certum sit ea ætate, & centenis etiam annis post, nullius Imperatoris vel Regis nomen ad longum vilo in Diplomate scribi solitum, sed tantum characterisimo quodam, & nota eius Regis, qui rescribebat, insigniri, cum huiusmodi epigraphe, signum Dagoberti, Pipini, Caroli &c. Regis. Sed & in constitutionem talis characterissimi

interueniebant tantum proprij nominis characteres, nullo autem modo characteres Regiæ dignitatis aut officij, nisi demum post Conradi SALICI tempora, prout ex innumeris veris & genuinis Diplomatis veterum Regum, & apud nos, & vbi vbi illa alibi sint, ostendi potest; at prætenfum Dagoberti Diploma, nomen etiam Regis apponit.

Tertio, quia in prætenso Diplomate Dagoberti dicitur subscripsisse Principius Spirensis Episcopus, quod esse non potest; cum constet ex Annalibus Ecclesiæ Spirensis apud Casparum Bruchium *in epitome de Germ. Archiep. & Episcop.* & apud Munsterum *lib. 5. cosm. c. 149.* Principium ad Episcopum Spirensis tandem euectum anno DCLII. eo ipso enim mortuus est antecessor eius Athanasius, Prætenfæ autem literæ Dagoberti in Aduersarij libello ponuntur Datæ Anno DCXLIII. Adde quod ipse Principius Anno DCLXXVIII. mortuus sit, cum viginti quinque annos iuxta tabulas Spirenses in Episcopatu expleßet, vnde iterum sequitur, quod Anno DCXLIII. Episcopus esse non potuit.

Quarto, quia prætenfum Diploma Dagoberti non habet locum, neque diem Datæ, contra morem, qui in alijs Dagoberti priuilegijs obseruatur apud Cocium & Mirzum *locis citatis supra.*

Quinto, quia manifestè falsam in constructione latinitatem continet, & quidem in verbis ipsis substantialibus, & ad scriptoris intentum maximè pertinentibus, adeo, vt in oratione sensus non sit, nec quidquam de Cella enuntiet, sic enim habet. *Præcipimus atque iubemus, vt omnes res vel facultates ad Ecclesiam S. Petri Treuerica Vrbs pertinentes scilicet Cellam S. Hilarij, quæ nunc appellatur S. Maximini, &c. & Cellam S. Paulini & S. Eucharij, &c. Basilicam S. Martini sitam in pago Maiginensi & ceteras Basilicas, Castella, Vicos, Villas, Vincas, syluas sub iure S. Petri Treuirensis Ecclesiæ permaneant.* Ibi Cellam; vicos, villas permaneant, atqui falsa talis latinitas vitiat Rescriptum, illique fidem adimit. Ita Decreuit Lucius III. Pontifex. *Quibus, inquit (litteris Apostolicis) quoniam manifestum continent in constructione peccatum fidem te nolumus adhibere, c. ad audientiam 1. de Rescriptis. Gl. & DD. consentiunt.*

Denique, quia repugnat & contrariatur alteri cuidam Sigiberti Regis prætenso Diplomati, quod in libello sub lit. B. exhibetur, prout sequenti sectione ostendetur. Quapropter neutri in iure secundum Leges fidem habere oportet. *l. Scriptura 14. c. de fide instrumentorum.*

S. IV. Exemplum tantum est, ideoque fidem non facit.

A Utographum & Originale huius Documenti nunquam in litibus, conferentijs, alijsque occasionibus exhiberi potuit, cum tamen id instanter petiuerimus. Itaque in processu Spirensi Anno MDXLIX. inchoato, non exhibita Originalia, sed nuda exempla, tum aliunde, tum ex ipso libello & verbis in Voto Camerae allatis, *in Voto Camerae n. 88. pag. 89.* clarè conuincitur. Sed neque in conferentia Anni MDCXV. neque in processu Julico exprimi potuit illud Originale, sed nuda semper copia & exemplum visum est, & quidem exemplum non ab ipso Originali extractum, sed copiarum alicuius, necio vnde excopiatæ, exemplum.

Exempla verò fidem non facere nisi ex Originali solemniter exscripta sint, idque citata & præsentate parte, in iure notissimum est, *cap. 1. de fide instrum. l. quicumque 2. ff. eod. l. vlt. ff. Testament. quemad. aper. l. 3. C. de Rescriptis. Did. Conary.*

pract. qq. c. 21. n. 4. vers. tertio exigitur, DD. passim, & ipse Scriptor in Voto, loco citato fatetur.

Quod optimis ac iustissimis de causis ita Pontifices & Imperatores decreuerunt, quia siue dolo, siue casu, facile est in exemplatione mutationem aliquam aut errorem irrepere, aut non Originale pro Originali proponendo, aut dum exemplator neque signa, neque subscriptiones, rasuras, lituras, mutationes satis exactè perspiceret. Postulat igitur Iustitiæ & æquitatis ratio, ut pars, cuius interest fraudem non fieri, adsit exemplationi, ut Originale videat, consideret, scrutetur, opponat, alleget contra, si quid habeat, uti passim à DD. tractatur.

s. V. Nomen Cellæ S. Hilarij nullo modo Monasterio S. Maximini aptari potest.

VERVM, etiamsi Originale istius prætensî Diplomatis exhiberetur omnibus numeris absolutum, & à tot, quot recensuimus, vitiis liberum, nihil tamen inde contra Monasterium S. Maximini confici posset. Illud enim, quod libelli auctor exhibet, neutiquam loqui de Monasterio nostro, quod S. Iohanni Apostolo per Sanctum Agritium dedicatum, postmodum, ob depositum ibidem sacrum S. Maximini corpus, ab illo nomen accepit, ex ipsius documentis hîc exhibiti contextu clarum est & euident, nam si qua eius verba de Monasterio nostro intelligi possent, essent utique illa, quæ dictus scriptor maiore Charactere posuit, nempe, *ut omnes res vel facultates ad Ecclesiam Sancti Petri Treuericæ Urbis pertinentes, scilicet Cellam Sancti Hilarij, quæ nunc appellatur Sancti Maximini, quæ est in prædio Sancti Petri constructa, &c. permaneat.*

At verò hæc verba nullo modo intelligi possunt aut debent de Monasterio nostro S. Maximini, quia illud non est, nec vnquam nominatum est, aut vnquam fuit Cella S. Hilarij, neque circumstantias istius Cellæ ibi descriptas habet, uti ex sequentibus rationibus manifestum est.

Primò, quia ex omnibus documentis & Diplomatis Originalibus, quæ exhibemus, certum est, Monasterium prædictum à S. Iohanne Apostolo, deinde à S. Maximino nomen accepisse. vide & considera, præter Dagobertinum nostrum, Diplomata Pipini, Caroli Magni, Ludouici Pii, Ottonis M. Ottonis III. Conradi Salici, Henrici Nigri, Henrici Iunioris, aliaque plurima, quæ semper agunt de Ecclesia, vel Monasterio, vel Abbacia S. Iohannis, vbi S. Maximinus Christi Confessor corporaliter quiescit, & hoc additamento peculiariter volunt designatum Monasterium illud, cuius iura confirmabant, illudque distinguunt & discriminant ab alia quauis S. Maximini Ecclesia, vbiunque illa sit. Nusquam autem, neque in illis, neque in aliis vllis documentis, chartis aut libris Monasterii, vllum vel minimum est vestigium, quod vnquam Cellæ Sancti Hilarij nomen habuerit.

Secundò, quia nulla etiam est apparentia, vel tenuissima vmbra apparentiæ, cur Monasterium nostrum vel eius Ecclesia vocetur, aut vnquam nominata sit Cella S. Hilarij: siue enim Cellam voces locum secretum ab hominum victu separatam, ad Deo vacandum deputatum, ut eam describit Bonifacius VIII. *c. priuilegium de verb. significat. in 6.* siue eam capias pro sepulchro, in quo significato eâ utitur Tertullianus *lib. de resurreçt. carnis*, neutro modo potuit dictum Monasterium nominari Cella S. Hilarij.

Non priore, quia S. Hilarius, dum vixit, nunquam fuit Treuiris, vel in Monasterio prædicto. Namque, vt ex historia notum est, S. Hilarius Pictauis oriundus in matrimonio ibidem vixit, donec creatus est Episcopus eiusdem loci, vt illo æuo moris erat coniugatos ad eam dignitatem assumi; Episcopus vero à Prouincia & Diœcesi sua non abiit, nisi dum Arianorum factionibus sub Constantio Cæsare coactus est in Phrygiam ire in exilium, vt Hieronymus, *lib. de script. Ecclesiasticis & in Chronico*. Baronius *ad Annum Christi 356. num. 111.* alijque testantur. Inde verò post aliquot annos per Italiam Romam (vbi eum S. Martinus conuenit & secutus est) è prælio hæreticorum reuertentem, vt loquitur S. Hieronymus, Galliarum Ecclesia complexa est. Nusquam apparet vel minimum vestigium aut indicium, quod vel in abitu, vel reditu Treuiros attigisset, sed nec ratio itineris eius dum ex Aquirania in Orientem & Phrygiam proficiscebatur, vel domum inde per Italiam redibat, id permittere poterat, vt ex Cosmographiæ tabulis constat.

Non etiam posteriore modo, quia post obitum eius, qui contigit circa annum CCCLXX. neque sacrum illius corpus, neque vlla eius pars, neque minima illius reliquia, Ecclesiæ nostræ illatæ fuerunt, sed neque vllum templum, aut templi pars, aut sacellum, aut altare sub eius titulo dedicatum vnquam fuisse constat. Quo igitur fundamento niti posset illa Cella Hilarianæ apud nos designatio & denominatio?

Dicere autem, quod populus sine vlla ratione aut fundamento, vocauerit Ecclesiam S. Ioannis Apostoli, Cellam S. Hilarij, & quod insuper nulla istius denominationis memoria in documentis & tabulis eiusdem Ecclesiæ seu Monasterij reperiat, quid hoc aliud est, quàm velle toti mundo velut cæcutienti figmenta quædam obtrudere & persuadere?

Tertio, quia Cella ista S. Hilarij, de qua præsumitur Dagoberti Diploma agit, constructa fuit in prædio S. Petri, at verò iam sectione præcedenti demonstrauit, Monasterium nostrum non fuisse structum in prædio seu territorio S. Petri, cum certum sit Ecclesiam S. Ioannis Apostoli, quæ fuerat Regale Constantini Magni templum, in fundo Imperatoris & Cæsareo conditam & constructam fuisse, siue, vt loquuntur Diplomata nostra, in proprio prædio, fundo, patrimonio, allodio, Basilica, Palatio Constantini M.

Quarto, quia Ecclesia S. Ioannis non potuit habere nomen Cellæ S. Hilarij, priusquam vocaretur S. Maximini. Omnes enim Historici fatentur S. Maximinum multis annis ante S. Hilarium obiisse. Itaque cum ex Baronio *ad annum 369.* alijsque scriptoribus constet, Hilarium circa, vel paulò ante annum CCCLXX. defunctum (nam aliqui, *Belleforestius, in Cosmographia tit. Poictiers.* mortem eius etiam post illud tempus constituunt) certissimis testimonijs probatur S. Maximinum ante annum Christi CCCLII. obiisse. Illo enim anno, cum sacrum eius corpus Pictauis Treuiros deferretur, eius meritis toto itinere plurima patrata sunt miracula, & nominatim Mosouii, Iuodii, Arluni, &c. sacrumque illud pignus in Ecclesia S. Ioannis depositum, illico populi concursu & votis cœpit celebrari, innumerisque miraculis clarescere; vnde contigit, vt cum populus Christianus, non tam ad S. Ioannis, quàm S. Maximini opem & præsidium implorandum concurreret, nomen Maximini magis, quàm Ioannis celebratum fuerit, & Ecclesiæ illi sensim impositum.

Equidem si templum S. Ioannis vnquam vocatum fuit Cella S. Hilarij, id post obitum istius Sancti factum oportuit. Quis autem credat viginti aut triginta annis, postquam S. Maximinus iam in Ecclesia S. Ioannis depositus, mira-

culis claruerat, nomen Hilarii isti Ecclesiæ, cum nullum miraculum istius Sancti meritis ibi fieret, potius inditum, quam Maximini?

Denique hisce rationibus adstipulatur S. Gregorius Turonensis, Vir antiquissimæ fidei, qui diu ante Dagobertum Regem vixit, & obiit anno DLXXXVI. secundum Bellarminum *lib. de scriptor. Ecclesiasticis sec. 6.* & optimos auctores. Hic vir tantæ authoritatis, vocat Ecclesiam nostram templum S. Maximini, *de vitis Patrum c. 17.* & Basilicam S. Maximini, *in hist. Franc. lib. 8. c. 12.* & *de gloria Confessor. c. 94.* Atque ut constaret de quonam templo loqueretur, id explicatius posuit, *c. 17. citato.* *Ad vnam, inquit, portam Eucharis sacerdos obseruat, ad aliam Maximinus excubat.* Alibi Basilicæ S. Maximini cryptam describit, *de gloria Confess. c. 93.* ita graphicè, ut qui hodie eam considerat, non multum à Turonensis ætate abluere aduertat. Itaque multis annis ante Dagoberti tempora, iam vocabatur Ecclesia nostra S. Maximini, ac proinde de illa non agit Dagobertus, cum loquitur de Cella Hilarii, quæ Nunc, id est, suo demum æuo, appellata est S. Maximini.

Quæ omnia bene intellecta & considerata, homini cuius æquo & sani ac imperturbati iudicij facile persuadebunt, per Cellam S. Hilarii memoratam non posse, neque debere intelligi Ecclesiam, vel Monasterium S. Maximini, de quo est quæstio. Atque ut plenè satisfiat curiositati lectoris, libet inquirere & inuestigare aliquam Cellam S. Hilarii in prædio S. Petri constructam.

s. VI. Pictavis & ad Ligerim Cella S. Hilarii quærenda.

Is, qui præensum Dagoberti Diploma, tanquam verum tueri voluerint, incumbit onus exhibendi alicubi terrarum talem Cellam S. Hilarii; quam quærere illi poterunt ad Rhenum, ad Ligerim, ad Mosam, aut Mosellam, aut vbiunque voluerint; satis nobis est in S. Maximini Ecclesia eam non esse. Nihilominus gratiam hanc illis præstabimus, ut indicium faciamus vbi probabiliter Cellam antiquam S. Hilarii reperire possint. Belleforestius Scriptor Francus, viam ostendet: is refert *in cosmograph. vit. Poictiers.* Pictavis ab Aliphio Episcopo, tempore Constantini M. constructam fuisse Ecclesiam S. Petri, quæ hodieque extat; prope illam verò, & haud dubiè in fundo vel prædio illius & consequenter S. Petri ponit Cellam S. Hilarii, vbi postmodum à Guilielmo Comite Pictaviæ Prioratus fuit fundatus.

Quod autem, in Dagobertino illo Diplomate addatur Cellam illam nominatam fuisse S. Maximini, potuit adiectum esse aliena manu, eorum nimirum, qui optabant Treuiris esse Cellam S. Hilarii ex vna parte Ciuitatis, sicut ex altera est Cella S. Eucharis, quod præsumi facilius potest, quia huic scripto etiam aliæ plures clausulæ adiectæ fuisse deprehenduntur. Vel certè dici posset, Cellam illam nominatam à S. Maximino, quod is Sanctus, Pictavis oriundus, Pictavis viuus & mortuus fuerit, vbi item S. Hilarius situs est. En tibi Cellam S. Hilarii in prædio S. Petri constructam.

Neque turbare te debet locorum distantia, nam ex ipso tuo Dagobertino Diplomate disces, tempore Dagoberti Regis, Ecclesiam S. Petri Treuirensis habuisse aliquas possessiones circa Ligerim æquè ac circa Rhenum. Pictavos autem esse circa Ligerim nemo ignorat, qui Galliam vidit.

Ad hæc tempora Dagoberti Regis fuisse S. Hilarii Cellam siue templum Pictavis luculenter testatur Aimoinus, dum refert Dagobertum valvas illius abstulisse, & per Oceanum & Sequanam Parisios misisse. Quod utique templum

Treuiris esse non potuit, vti nonnulli Bruxellensi aulæ ex Aimoinio suadere voluerunt: vt enim valuz illæ Treuiris Parisios transferrentur, Oceano Dagobertus vti non debebat; At verò Pictaui Oceano vicini sunt.

Quod autem in Diplomate dictæ Cellæ S. Hilarij, aliz adiunctæ legantur Treuiris Viciniores Cellæ & Monasteria, non obstat; nam Dagobertus profiteretur ibi, se confirmare omnia bona sacra & prophana ad Ecclesiam S. Petri spectantia, vbicunque demum sita in regno suo, siue circa Ligerim, siue circa Rhenum. Quanquam illud additamentum de reliquis Cellis & Monasterijs meritò suspectum est, cum in prætenso Dagobertino Diplomate, quod exhibet & profert Roserius *in Stemmatibus Lotharing* num. 1. omnino non reperiatur. Ac proinde apparet adiectum fuisse, ad colorem addendum illi figmento, & ad Cellam illam Pictauiensem tanto apparentiùs Treuiros transferendam.

S. VII. Ex alia intrinseca ratione prætensum illud Dagobertinum infirmatur.

OB allatas igitur rationes, neque fidem mereri prætensum illud Dagoberti Diploma, neque de Monasterio S. Maximini agere, adeoque ad quæstionem hanc prorsus impertinens esse, manifestum est.

Et quamuis omnes illæ abessent solidissimæ rationes, adhuc tamen per prætensum illud à scriptore aduersario productum Diploma nihil contra nos euinceretur.

Quia vt omnes illi defectus tollantur, sit originale & authenticum, sit sibi constans, ratum, fixum, non variatum, sit perfectæ in enunciatione constructionis, de nostra Sancti Maximini Basilica agat, sit alijs suis numeris absolutum, à quibus omnibus quantum illud absit, antedicta docent, sed præsupponamus non abesse; hæc tamen superfuerint refutandi media, nempe:

Quod nuda fuerit confirmatio prætenforum Priuilegiorum Archiepiscopaliū, quæ ad hoc dumtaxat tendebat, vt res omnes quæ ad Ecclesiam S. Petri pertinebant, eidem saluæ & inconcussæ permanerent, & ab eadem quiete & pacificè possiderentur.

Eaque ad partis, nimirum Archiepiscopi, postulationem impetrata, & communi atque ordinario more & stylo consueto à Rege concessa.

Porro, de eiusmodi confirmationibus generatim hæc à DD. tradi constat:

Eas nunquam denegari, neque vllius Iuri vllatenus derogare, nulliusque esse præiudicij.

Eas hanc clausulam, etsi non expressam, tamen subintellectam continere, *Saluo Iure tertij*, ideoque fieri illas absque vllius citatione, quia per illam Clausulam Ius tertij saluum remanet.

Per easdem nullum nouum Ius acquiri, sed antiquum (siquod habet impetrans) dumtaxat conseruari, ac, quod idem est, noui nihil dari, sed esse præsupponi. Ita Gaylus *lib. 2. obseru. 1. num. 14. & n. 3. vide etiam c. cum dilecta de confirmatione vtili & inutili.*

Quæ omnia sanè in Confirmatorio illo Dagobertino locum habere clarum est. Neque enim per illud declarare intendebat Rex, quænam res ad Ecclesiam S. Petri pertinerent.

Sed approbare dumtaxat (loquimur sub superiori præsupposito) vt ea, quæ ad ipsam pertinebant iam antea, ipsi permanerent.

Atque

Atque ideo quoad illas res, ad Ecclesiam S. Petri pertinentes, nulla est Regis assertio, decisio, dispositio, sed nuda narratio.

Et quamuis confirmatoriè disponat (sub eodem præsupposito) dictum Diploma, ut res ad Ecclesiam S. Petri pertinentes & in his enumerata Cella S. Hilarij, eidem Ecclesiæ permaneant.

Non tamen disponit neque asserit, uti neque de asserendo aut disponendo agebatur, quod eadem Cella S. Hilarij ad præfatam Ecclesiam pertineat, sed solum demonstrationis causa inter cetera ad partis propositionem enunciat, recenset ac narrat.

Verba enim enunciatiua sunt illa, quæ non stant per se, & in eis non sistit voluntas, sed transeunt, & non consistit in illis verbum principale orationis & dispositionis; sed verba dispositiua stant per se & principaliter propter se. Alexander *lib. 7. Consil. 181. n. 3.*

Consentit Franc. Aretinus, *Cons. 23. num. 8. vers. veruntamen & nu. 9.* qui dicit verba enunciatiua emissa propter aliud non probare id, quod enunciant, *per text. in Clem. sum. Pontifex in sine, de sent. Excom.* Et hoc quidem semper habere locum dicit, sed quàm maximè, si eiusmodi enunciatio, confirmatio &c. sit de facto alieno, & obrenta ad partis instantiam, non autem ex motu proprio Principis, allegans Calderinum, Antonium de Butrio & alios.

Sed & illud patet ex hac generali Clausula, *& ceteras Basilicas, Castella, vicos, vineas, sylvas, homines,* quæ omnia in eodem Diplomate vniuersali enunciatione subiunguntur, vnde manifestissimum est, non intendisse Regem decidere, quæ res ad Ecclesiam S. Petri pertinerent, aliàs illæ Basilicæ, Castella &c. exprimi debuissent.

Sed & postea subnectit etiam illa omnia, quæ deinceps eidem Ecclesiæ in futurum donari possent. An dicemus per illud decidisse Regem aut asseruisse de iure donationum futurarum, aut quod illæ res, quæ in futurum donarentur, ad Ecclesiam S. Petri pertinerent?

Quid ergo, si contigisset donari à non Domino?

Inferit & clausulam de Monasterio S. Mariæ scilicet, *quod idem præfatus Pontifex Modoaldus in territorio S. Petri nuper à fundamento construxit.*

An dicemus Regem in illa prætenfa priuilegiorum renouatione decidere cogitasse, quod Modoaldus Monasterium illud à fundamento construxerit, aut quod de illo facto inuestigando admodum sollicitus fuerit?

Partis est narratio, quæ in confirmatione ex stylo inserta, nihil veritati, neque addit, neque tollit.

Nam cum Princeps narrat factum alienum, & super eo non se fundat disponendo, nihil probat; & ideo si eximit Monasterium & omnia membra, licet enunciatiue narrentur membra, non tamen probantur membra, sed intelligitur, si probentur membra esse. Ita Tuscius verb. Papa Concl. 62 n. 65. alleg. Roman. cons. 191. num. 4. qui multos DD. citat.

S. VIII. Per Maximinianum Dagobertinum, prætensum illud Treuirensē perimitur.

Scitis igitur & abundè demonstratum est, Dagobertinum Treuirensē in se consideratum, nullam omninò vim habere & efficaciam contra Ius nostrum, quod adhuc multò magis apparebit, si cum nostro Dagobertino

con

conferatur, quod in concursu multis nominibus præualet, & se solo præteritum illud Treuirense perimit, ob sequentes considerationes.

Nam uti modo diximus, Treuirense illud Diploma nudè confirmatorium est, per quod non intendebat Rex decidere vel declarare, an Cella illa S. Hilarij ad Archiepiscopatum pertineret.

At verò, in Maximiniano nostro Diplomate, in hoc specialiter, & ex professo intendebat Rex, matura deliberatione habita, de consilio Episcoporum suorum Comitumque, ut inquireret, dignosceret, ac declararet, quibus authoribus illud Monasterium S. Maximini constructum, vel cuius imperio pristinis temporibus fuisset subiectum, legatis ad id specialiter ad Abbatem Memilianum missis, ut eo cognito de re disponderet.

Vbi nota, verba Diplomatis, *Cum conuenienti Episcoporum meorum Consilio*, sub quo Episcoporum nomine, cur contineri negetur ipse Archiepiscopus Treuirensis, cum Archiepiscopus sit Episcopus, & ita passim in iure & vsu Ecclesiæ nominetur, idque præcipuè cum de istius Monasterij adeo Vrbi Treuericæ Archiepiscopoque vicini iure, solemniter tractaretur, ita ut præsumendum sit, ipsaque facti natura indicet, ipsius præcipuè Episcopi Treuirensis, sub communi vocabulo nominati, consilio desiderioque inquisitionem illam esse assumptam.

Quid enim ad alios Episcopos attinuisset illa de re inquiri? Cur illam inquisitionem promoueri? nisi illius gratiâ, qui ob aliquam apparentem causam dubium mouere potuisset, iusque aliquod sibi proponere, casu quo per inquisitionem, foundationis independentiæque iura non ostendisset Abbas, qui sanè in illo actu reus quodammodo constitutus fuit, & ad probationem adactus, aliquo certè desiderante ac instigante: & quo apparentius quàm Treuirensi Episcopo, qui ius aliquod sibi aperte prætereendere non valens, per medium Imperatoriæ inquisitionis de Monasterij iure statuque certior fieri maluerit?

Ac sanè quocunque vertatur cogitatio, incurritur in rationes actum stabilientes, ut in tanta temporum antiquitate, in negotio tam circumspectè serioque expedito, in tot circumstantijs, argumentis & coniecturis, temporis, loci, rei, personarum, ingressus, progressus, egressus, negotij, ipsa etiam verbi significatione in hoc cooperante, omnis interpretatio adhibenda sit, ad hoc, ut actus quam validissime subsistat.

Vnde inferendum est, Decretum illud Regium rei decise ac quodammodo iudicatae vim effectumque habere.

At quantum distat à simplici Rescripto Priuilegiorum confirmatorio ad postulationem partis concessio?

Confidera, beneuole Lector, singulas clausulas circumstantiasque, itemque Regem tunc supremum illarum ditionum Principem, expressè inquirentem, cognoscentem, legatos de sua potestate specialiter ad probationem iubendam imperandamque mittentem, probationibus receptis ac cognitis inuentum esse ipsum Monasterium testantur fuisse Constantini Imperatoris regale templum, in eodem templo, ab eodem Imperatore pauperes Christi congregatos fuisse eisque virum Dei, Ioannem ab eodem Præpositum: in super illius loci habitationem alteri personæ noluisse subdere, nisi sibi successorumque Imperatorum potestati, denique vide eundem Principem, ut illa omnia stabiliret, statuentem ac decernentem hac verborum formula.

His rebus, ita esse firmiter intellectis, Regio more constituo atque firmissima in iussione præcipio, ut nullus vnquam proteruè illud Monasterium audeat inire &c. Quæ

verba

verba maxime prægnantia, firmam certitudinem Regiæ authoritatis, seriam applicationem, enixam voluntatem, supremæque Iurisdictionis exercitium significant.

Quibus omnibus clausulis, circumstantijs, solennitatibus vel illarum vnica, an se comparet Archiepiscopale illud Diploma?

Rescriptum simplex motu proprio concessum cæteris paribus, præfertur illi, quod ad instantiam partis impetratur. *Iacob. Menoch. de præf. lib. 2. Præf. 13. n. 8. & de arbit. iudic. casu 48. n. 36.*

Quid de hoc, in quo tot disparia, vbi ex inquisitione, ex scientia, ex decreto, decisio facta, vbi clausula prohibitoria in Iure agnito fundata, specialiter adhibita adiecta est?

Quæ sanè omnia tantè sunt efficacix, vt neque per contrauentionem, neque per præscriptionem tolli possit talis dispositio. *Iac. Menoch. de præf. l. 6. præf. 41. n. 10.*

Sed, etsi in solis Verborum narratiuorum aut assertiuorum qualitatibus confisteremus, constat verba assertiua in Rescriptis plus roboris habere, quàm enuntiatiua. *Card. Thuf. verb. verba concl. 81. n. 160. citans. Crauetam cons. 832. in princip. alios plures allegantem, maxime Ruin. concl. 198. n. 7. lib. 4. Bart. &c.*

Cum itaque in concursu duorum priuilegiorum considerandæ sint primum clausulæ vtriusque priuilegij, & illæ præferri debeant, quæ sunt Maioris efficacix, *Iacob. Menoch. de præf. lib. 6. præf. 4. n. 47.* cedere non grauabitur Archiepiscopale Dagobertinum tantis notis à Maximiniano superatum.

Sed & alijs præterea rationibus vincitur, prætensum Archiepiscopale Diploma nempe, quia neque diem, neque mensem habet.

Habetur autem vtrumque in Maximiniano. E duobus autem Rescriptis aut Diplomatum præfertur illud, quod diem aut certum tempus habet, alteri quod tempore incertum est.

Immò etsi eadem Dies in vtroque esset expressa, in altero etiam hora, præferretur illud, cui hora præfixa esset illi, quod ob horæ non expressionem in incertitudine temporis confisteret *Iacob. Menoch. de arbit. iudic. cas. 48. versic. septimus est casus per totam.* cum alijs ab eo citatis, ob rationes quæ apud eisdem particularius videri poterunt.

Deinde, quia Maximinianum illud Diploma, subsequuta est pro ipsis possessio, de qua Archiepiscopi destituti fuerunt.

Quod patet ex ipso prætenso Conradino Diplomate, quod pro Archiepiscopis à Scriptore in libello inseritur sub litt. C. de quo latius infra tractabitur.

Patet etiam per sententiam Ottonis Magni pro Maximinianis latam.

Per quam verificatur, Archiepiscopos non fuisse in possessione vllius in Abbatiam Maximinianam potestatis, sed eandem tunc fuisse sub immediatâ potestate Imperatorum, atque adeò illam in suæ immediationis possessione actualiter extitisse.

Atqui in duorum documentorum concursu, immò in casu, quo de cetero in omnibus reliquis circumstantijs datæ, temporis, personæ concedentis, solennitatum, textus dispositiui paria ac æqualia essent, præferretur ille, qui ex suo documento possessionem nactus esset. *Idem Menoch. eod. cas. 48. vers. Tertius est casus.*

Sed neque locus in prætenso Dagobertino Archiepiscopali continetur, qui defectus vt & Diei multum de instrumenti robore tollit, præsertim cum nullis alijs adminiculis adiuuatur. *Didac. Couarru. var. resolutionum.*

Continentur autem ista exactè in Maximiniano, quod sanè omnibus suis numeris & partibus perfectissimum est & absolutissimum.

§. IX. *Idem Treuirensis Dagobertinum, multorum aliorum Originalium auctoritate obruitur.*

NON in Dagobertino nostro Diplomate solo consistimus; vide obsecro, beneuole lector, tot, tam numerosa, tam exacta, tam absoluta, alia Diplomata Originalia, ius nostrum firmissimè stabilientia.

Sume vnicum Pipini Regis proximum sub Numero 3. Diploma, lege, confidera.

Etsi alia omnia subsecuta deessent, quid tu ad illud Scriptor?

Quid rationis proferre potes, cur tuum Dagobertinum præensum præferendum sit illi tam speciali, tam accurato, tam dispositiuo Diplomati, eoque originali, subsignato, sigillato?

Dices forsàn quia hoc illi posterius?

Quid de eodem tuo præenso Dagobertino nostri Dagobertini respectu dices? posterius an prius?

Si Dagobertinum tuum nostro Dagobertino posterius asseris, cur non eandem obiectionem ob posterioritatem patiaris, quàm tu ob illius à Pipini Rege concessi posterioritatem opponere voles?

Si antè asseris, quì euitabis tui illius errorem per informationem causæque cognitionem subsequutam, patefactum in meliusque reformatum fuisse?

Sed cum aut hoc, aut illud dices de prioritate aut posterioritate, dicta sanè erunt, sed dicta, ubi probata?

Verùm, quod magis est, pro Maximiniano Dagobertino, in contrarium probata sunt Iuris præsumptione omnia, quæ ipsi ad priuilegium temporis conducunt, & ad effectum illius expediunt, siue illa sint prioritas siue posterioritas, ob perfectionem ac certitudinem temporis expressi.

Adeò vt si expediat pro anteriore habendum, pro anteriori & habeatur, sin pro posteriore, itidem & posterius habeatur. omniq; casu præferendum erit ob certum tempus adiectum. Iacob. Menoch. loco supra citato de arbit. Indic. cas. 48. vers. septimus est casus. cum DD. ab eo citatis.

Rationem hanc adfert, *Solidissimum*, inquit, est huius sententiæ fundamentum, quoniam vt deur rescriptorum concursus, temporis paritas adesse debet, quæ sanè paritas non datur, cum de certitudine alterius eorum non constat; nam cum horum a certa scripta non est, fieri potest vt ita ante, quemadmodum & post concessum sit. Dubia ergo probatio non prodest. l. neque natales. C. de probat. c. in præsentia X. eodem. Standum itaque est hora certa, donec aduersarius de prioritate sui rescripti hora carentis probet, quam verè probare debet vt obtineat, posteaquam in præciso & determinato illo tempore fundamentum constituit. l. matrem. C. de probat. hæc ille.

Denique cætera tanta Documenta successiuè contemplare, beneuole lector, reperies, quæ animo tuo satisfaciant.

At cum omnia lustraris, vel etsi nulla alia lustrare tibi sit animus, respice quæso & inspice Ottonis Magni sententiam sub Num. 9.

Quid ad illam Scriptor? Archiepiscopus præfens fuit, auditus fuit, Ot-

tonis

tonis confanguineus erat, visa, perlecta, examinata acta, Ius redditum, sententia supremi iudicis lata, nunquid id tibi satis est?

SECTIO TERTIA.

Sigibertinum, aliaq; libello carptim dicta refelluntur.

SIGEBERTI prætensum Diploma sub lit. B libello insertum iisdem vitijs laborat, quibus præcedens Dagobertinum, iisdemque de causis vim omnem perdit, nam & per Sententias, Decreta, ac solidissima Regum ac Imperatorum Diplomata, quæ proferimus eliditur & obruitur, & figmentum est, ut ex addito, Anno Incarnationis, & subscriptione præter morem istius ævi, alijsque indicijs ostenditur. Præterea vim habere non potest, cum sit nudum exempli Copiæ alicuius nescio unde extractæ, cuius originale nunquam exhiberi potuit. Item ad rem nostram & quæstionem non pertinet, quia non loquitur de Monasterio S. Maximini, sed de Cella quadam S. Hilarij, cuius nullum omnino vestigium, vel memoria est apud nos. Denique quia ad instantiam Modoaldi Archiepiscopi concessum, confirmat solummodo Ius, quod impetrans proposuerat ac narrauerat. Ob quas omnes & singulas rationes, Iuri nostro obstat non posse manifestum est ex dictis Sect. præcedenti. Sed præter allatas considerationes, quædam peculiare alia in hoc Sigibertino occurrunt, quæ illud suspectum inualidumque faciunt.

s. I. Rationes particulares Sigibertinum destruentes.

Prima, quia falsa est subscriptio hæc. Sigebertus Rex Francorum, nam Sigebertus fuit tantum Rex Austrasiæ, non autem Francorum, quibus, eius tempore imperabat Clodouæus Sigeberti frater natu maior, ut constat ex Ægidio Bucherio *in Chron. in fine tom. 1. Episcop. Leod. Chappeauuillj.* Aimonio *lib. 4. c. 33.* Appendice veteri Gregorij Turonensis *cap. 79.* Scipione Duplexio in Clodouæo.

Secunda, quia non sunt additi anni, Regni Sigeberti, vel indictiones, uti moris erat eo tempore.

Tertia, quia ponitur subscripsisse Remaclus Traiectensis Episcopus, illo autem Anno DCLIII. quo supponitur fuisse datum, Remaclus non erat Traiecti Episcopus, sed Theodardus, multâ enim instantiâ & precibus Remaclus à Sigeberto Rege Episcopatu liberari petierat & obtinuerat. Ita Bucherius *supra Anno DCLIII.* Vide etiam vitam S. Remacii per Nodgerum apud Surium, & Sigebertum in Chronico Anno DCXXXI.

Quarta, quia Martinus Dux non subscripsit, cum tamen in textu Diplomatis prætensi dicatur subscripsisse.

Quinta, quia in eodem textu narratur quod Hattus Dux cum grassatoribus suis, vastitatem Gallijs intulerit, quam grassationem, & vastationem nemo omnium Historicorum sub Sigeberto Rege in Gallijs perpetratam meminit. Mirum foret omnes Historicos, quorum est turbas & res bellicas persequi, rem tam notam & publicam silentio obuoluisse.

Sexta, quia exemplum illud Diplomatis exhibetur mutilatum, abscissum & truncatum, omissa parte aliqua textus, sub verbis, *Atque post hæc, quæ omisso il-*

lud inualidum & inutile, inò potius noxium reddit, teste Præfide Fabro *in Codice Fabr. lib. 2. tit. 1. de fin. 2. n. 3. in allegat.*

Septima, quia etiam hoc prætenfum Diploma varias formas induit, sicut supra retulimus de Dagobertino. Nam in conferentia anni MDCXV. integrum, tanquam per exemplum fuit exhibitum, & additum quod habuerit quatuor Sigilla, vnum aureum, & tria cerea, quæ etiam describebantur, vti est apud Rosierium. Addebatur etiam subscriptio Martini Ducis Auftriæ Mosellanicæ; quæ, vti & sigilla in libello nostro omittuntur. Atque ita, si licitum & fas fuerit omittere ea, quæ Scriptori displicebant, quis non suspicetur ab eodem ea quæ ipsi placebant, adiecta, vt sunt ea, quæ Cella Hilarij nomine S. Maximini insignita dicuntur.

Octaua, quia vt ex textu istius documenti apparet, refert se author illius narratiuè ad præcedens Dagobertinum supra refutatam, Referens autem, non potest habere maiorem vim quàm relatum. *Thuscus V. Relatum.*

Nona, quia prætenso Dagobertino, ad quod se refert in substantialibus terminis, repugnat, dicit enim Dagobertum tradidisse Cellas Ecclesiæ S. Petri, cum tamen, tam ex Diplomate ipso Dagoberti, quàm Scriptoris confessione clarum sit, Dagobertum dictas Cellas quasi iam ante traditas & ad Ecclesiam S. Petri pertinentes ipsi reliquisse & confirmasse. Itaque in hac contradictione & repugnantia, nescias, cui credas, atque ita vtrique prætenso Diplomati fides omnibus abrogatur, & mutuo se destruunt. *l. scriptura. 14. c. de fide instrument.*

Ex quibus omnibus alijsque rationibus, quæ ex istorum Diplomatum consideratione erui possunt, euidentis est, nihil contra nos per Sigebertinum illud prætenfum probari posse.

s. II. Refelluntur alia de fundatione Vandalis Hunnisque dicta.

Quòd dicis in Notabili 1. Archiepiscopus dotasse Monasterium S. Maximini, ex dictis & dicendis falsum esse constat. Quod 2. addis, Reges Francorum non prætere titulum Fundatoris, ad quæstionem nostram non pertinet, Certè vt fundatores non sint, benefactores fuisse magnos illos Austrasiæ Reges, Dagobertum, Pipinum eiusque Successores, nimis nobis notum est, & lex gratitudinis verat, nos eiusce rei obliuisci.

Quòd verò tertio ex voce illa, *Hattus*, eruis & inferis Reges Franciæ Hattos, Hunnos, Vandalos, Nortmannos, & quoscunque alios (similes barbaros reor) ex Archidicæcesi Treuirensi semper eiecisse, vide quomodo tuearis, vereor enim vt hic quoque Historici, te ad metam, non loqui, deducant. A quibus ostenditur Hunnos & Vandalos ante Francorum in Gallias aduentum & Dominatum, tertio in easdem inualisse. Primò, sub Gratiano circa Annum CCCLXXIV. teste Sigonio *lib. 9. de Occident. Imp.* Secundò, sub Arcadio euocati sunt à Stilicone circa Annum CCCCVI. teste Osorio *lib. 7. cap. 38.* Tertio, quando cum Attila irruerunt circa Annum CCCCLI. teste Turorensi *lib. 2. cap. 6.* Neque post illa tempora Hunnos, Vandalosque Galliæ cladem intulisse reperio. Constat verò Francos eo tempore in Gallia necdum rerum potitos, sed trans Rhenum Degentes, cladem ab Hunnis & Vandalis transfuentibus in Galliam passos, ac Treuiros primum attigisse circa Annum CCCCLIII. vt refert Aimoinius *lib. 1. histor. cap. 3.* Vide huius Chronologiæ ra-

tionem apud Bucherium, *in disputat. historica de primis Tungrorum Episcop. C. 5.* Baronium suis locis, & alios.

Nortmanni quidem Treuiros Vastarunt circa Annum DCCCLXXXII. & Carolo Crasso annitente, certis pactis initis, inde recesserunt, non autem vi eiecti sunt, quin potius parte Gallia illis concessa, Franci pacem tandem inire coacti sunt. Regino, *In Chron. Ann. 882.* Frodoardus, *in Chron. Ann. 922.* & alij.

De Hattis inuadentibus Treuiros, quod asseris, nullius Auctoris testimonio probare poteris.

Atque ita concludo, præterquam quod impertinentia sint sine solido fundamento, ea quæ de Hattorum, Hunnorumque eiectione retulisti, abs te dicta esse, cætera verò, quæ de assistentia Moderni Regis Christianissimi narras, etiam ad hanc quæstionem non pertinere.

SECTIO QVARTA.

Graues calumniae in priscos S. Maximini Religiosos contortæ, refutantur.

NON modò fictis eiusmodi & fictilibus Regum Austrasie productis documentis, conatus est Scriptor libelli famosi, Monasterij statum euertere: Verùm etiam fictis & excogitatis criminibus ac factis, quæ à n. 12. vsque ad n. 17. in libello persequitur. Nam primò accusat Religiosos præfatos de crimine falsi, dicitque eos perfrecta fronte & falso negare, Monasterium sub omnimoda Archiepiscopali & Electorali Iurisdictione Ecclesiastica & sæculari permanisse, cum illud à S. Hildulpho fundatum & instauratum asserat. Secundò, dicit pessimis artibus, quas enumerat, ac inter illas, præstigijs ac veneficijs vsos, vt Pontifices, Imperatores ac Principes externos, contra Archiepiscopos concitarent. Tertio, iisdem pessimis artibus vsos adhæsisse Pontificibus & Regibus Romanorum schismaticis & excommunicatis, & ab iisdem per falsa narrata, inualida Diplomata, sub & obreptitiè expressisse, idque nominatim ab Ottone II. & Henrico IV. & V.

Quæ quidem omnia, aliaque, quæ citato loco referuntur, cum falso & sine vllâ veritatis apparentiâ, & omninò sine vllâ probatione audacter asserantur, possent sola negatione sufficienter refelli, cum omni Iure quiuis præsumatur bonus & innocens, neque falsarius, perduellis, præstigiator, veneficus quispiam haberi debeat, donec talis probetur.

Nihilominus, ne quis fortè scrupulus aut dubitatio animis simpliciorum inhæreat, ob illa tam fortiter asserta & toti mundo proposita, quæ ad tria supradicta capita pertinent gesta, paucis referam.

S. I. Archiepiscopi Treuirenses non fundarunt Monasterium S. Maximini.

ARchiepiscopos non esse Fundatores Monasterij nostri, patet primò ex ijs, quæ dixi primâ parte, & sectione primâ huius partis, vbi testimonijs clarissimis, ijsque Originalibus & irrefragabilibus ostensum est, funda-

torem primum dicti Monasterij, fuisse Constantinum Magnum Imperatorem. Consequentes verò Imperatores ac Reges, Dagobertum, Pipinum &c. fuisse insignes benefactores, partim ex ijs quæ in hoc opere exhibentur, partim ex alijs, quæ suo tempore publicabuntur, Documentis & Diplomatis antiquissimis, ijsque Originalibus & certis demonstrari potest.

Secundò, quia nullus omninò non modò pagus, sed nec fundus, aut vllus etiam terræ pes demonstrari potest, quem aliquis Treuirensis Archiepiscopus Monasterio nostro donauerit, neque author libelli, qui nihil eorum, quæ etiam cõminisci poterat contra nos, omisit, vllum talem fundum nominat vel refert.

Tertiò, nullam habemus Curtem, Villam, Pagum, Ecclesiam, decimam, subditum, fundum, cuius non sciamus originem & donatorem. Itaque scimus nos habere fundum, in quo est Monasterium conditum cum eius agro sub vrbano vicino, itemque pagos Martisuillam vulgò *Mertisberff* / Matenam, Centabarrim, & quæ in *Wasserbilligh* & *Mertert*, nostra sunt, à Constantino Magno eiusque Matre S. Helena. At *Fell*, *Detzem*, *Ken*, *Kirn*, *Longuich*, *Riol*, *Rolche*, *Budelich*, *Taleuan*, *Loersch* &c. à Dagoberto Rege. *Petrisolam* verò vulgò *Steinsel* / *Cumiciacum*, aliaque à Carolo Martello; & à Pipino Rege, *Remich*, *Taben*, &c. Ab Ada sorore Caroli M. quæ in templo nostro sita est; *Cellam Apulam*, aliaque multa ad Rhenum. A Ludouico Pio Imperatore *Barweiler*, *Vxem*, *Nohn*, *Ardorff*, *Broel*, in Episcopatu Colonienfi. Ab Arnulpho Imp. *Ribenach*. Ab Henrico Aueupe Rege, *Theonivillam*, & sic de cæteris. Neque designari poterit vllum omnino prædium, cuius donatorem non possumus probare alium fuisse, quam Archiepiscopum.

Vbi igitur sunt illi opulentissimi fundi, quos à S. Hildulpho, tum ex suo, tum ex D. Petri peculio datos nobis asseris Scriptor anonymus, quin illos nominas, quin describis? Quomodo verò potuit S. Hildulphus de suo peculio dare nobis fundos, cum ex historia constet, illum ex insulis Britannicis exemplo S. Willibrordi, Bonifacij, & aliorum egressum cum duobus fratribus, omnibus fortunis derelictis, Christum pauperem secutum, Romam primum adijisse, & in Monasterio nostro Religiosum factum, & vitam Religiosam, pauperem, humilem ac sanctam duxisse; donec Miloni Archiepiscopo primum suffraganeus, mox, eo defuncto, etiam Successor, & Archiepiscopus esse cogeretur inuitus, & se inuitum, eò dignitatis euectum, sanè restatus est, dum derelicto Archiepiscopatu, iterum se ad Religiosam & tranquillam in Monasterio nostro vitam recepit, vide de his *Hundium in Metro. Salisburg. tom. 1. in Episcop. Ratisbo. Brunnerum lib. Boicorum c. 752.* & alios *vitam M. SS. S. Hildulphi vetus M. SS. apud Selderum.*

De suo ergo, nullam nobis foundationem constituere potuit S. Hildulphus, sed nec de S. Petri fundis, quia nec de iure poterat nec erat eo tempore tali in statu Archiepiscopatus, ut ab illo possent opulentissimi fundi abstrahi, tum ob alias causas, tum quod eo tempore prædia ac bona Archiepiscopatus plurimum erant grauata ære alieno, vti refert *Hinemarus Rhemenfis in prologo vite S. Remigij apud Surium 13. Ianuarij.* & alij, *Auctor vite S. Ludouici M. SS.*

At inquis in *Conradi II. Imperatoris Rescripto sub lit. C. (sub lit. V. ponendum erat)* in libello habetur, quod *Abbatia S. Maximini fuerit à Beato Hildulpho de bonis Treutrensis Ecclesie fundata*: Infra suo loco plenè refelletur quidquid de illo Diplomate obtenditur vbi responsionem, tam ad hanc obiectionem, quam ad alia omnia, idem Diploma concernentia reperies, hinc interim animad-

uertes quod in eodem Diplomate, secundum ipsum textum in libello infer-
tum, non fuit illa Conradi Imperatoris decisio vel declaratio, sed Alberonis
Archiepiscopi erat querela, preces, querimonia &c. vt in terminis habet di-
ctum Diploma.

At S. Hildulphus Cœnobium nostrum nouis substructionibus excoluit, fa-
cra S. Maximini ossa transtulit. Quid tum postea? An idcirco dices S. Hildul-
phum S. Maximini fundatorem? an idcirco potuit idem Sanctus, aut voluit
(quod tu eum statuisse sine vllâ probatione & fundamento fingis) Monasterij
nostri Ius ad arbitrium omne Archiepiscopo Treuirorum tradere? Inclytos
Reges Australiæ non vis esse Cœnobij fundatores, cum fatearis magna ab ijs
donaria in Gazophylacium nostrum illata, quomodo ob beneficia aliqua & of-
ficia S. Hildulphum constituis fundatorem, & quod magis est, etiam Dominũ
absolutum? præsertim cum superius SS. Agritium, Modoaldumque fundato-
res nominaueris? quæ illa, quæ de nouis illis substructionibus & æde S. Ioannis
noua à fundamentis extructa à S. Hildulpho alijsque accumulata, non plus ve-
ritatis habent, quàm tuum illud figmentum de Cella S. Hilarij supra explosum,
apud quam asseris ædem illam nouam S. Ioannis exfuscatam.

Insigniter beneuolum erga S. Maximinum fuisse S. Hildulphum non nega-
mus, ab eo sacras eiusdem Sancti reliquias translatas fatemur, ab Abbate S.
Weomade, qui tempore Archiepiscopatus ipsius Monasterio præerat domum
excultam & reparatam scimus, non idcirco tamen S. Hildulphum aliosque,
ante & post eum, Archiepiscopos pro fundatoribus habemus, aut habere de-
bemus, neque sanctissimi ac sapientissimi Archiepiscopi & Principes id vnquã
prætenderunt. Ac nihilominus id, quod Lex gratitudinis reposcit, à Religioso
nostro Conuentu nunquam omittetur, sicuti Religiosi Maximiniani recolunt
& celebrant quotannis beneuolentiam Eberhardi Archiepiscopi qui in diem
17. Kal. Maii anniuersarium fundauit, assignata Monasterio annuè vna ama vi-
ni, duobus modiis dominicalibus, & XL. denariis pro piscibus; item Arnoldi
Archiepiscopi, qui lampadem iugiter ante S. Maximini tumulum lucentem
instituit, ac similiter aliorum præstantissimorum Archiepiscoporum beneuo-
lentiam, pietatem & fauorem erga S. Maximinum.

*S. II. Religiosi Maximiniani non concitârunt malis artibus
Principes contra Archiepiscopos.*

Refert auctor libelli Religiosos Maximinianos apertis dolis, astutijs, fig-
mentis &c. potentiores concitasse contra Archiepiscopos, dapes veneno-
liuiss, pocula lethifera miscuisse, & ab eorum præstigijs neminem tu-
tum esse potuisse circa annum MXXIV. idque probare se autoritate Chri-
stophori Broweri Societatis Iesv Sacerdotis, & non Ignatianæ, cuius scriptor
illum fuisse dicit.

Quæ quidem, vt supra dictum, vnicâ tantum negatione sufficienter omnia
refelluntur, cum sint falsissima, nec vnquam probata fuerint, aut probari possint.

Et verò, miror frontem tuam scriptor anonyme, quod Browerum in testem
producere audeas, cum mundo notissimum sit, eius Annales Treuirenses non
modò mutatos, mutilatos, sed & in hunc vsque diem prohibitos, & ne lucem
viderent suppressos, & tu illis figmenta tua tueri vis. Sanè tali testimonio con-
tra nos nihil euinces.

Constat enim Browerum Archiuum ac Documenta nostra non uidisse, proinde, deficiente hoc lumine historiarum, quod ex innumeris Originalibus nostris haurire poterat, in plurimos errores circa res Maximinianas lapsum esse.

Item, certum est eum, cum Annales Treuirensis Ecclesiarum conderet, eas tantum habuisse informationes & commentarios, pro historia sua concinnanda, qui fauebant praetensioni Archiepiscopi, oberant Abbati Sancti Maximini. Addita etiam nonnulla contra nos alia, quae pro nobis esse poterant, ablata, nonnulli asserunt.

Sed quidquid demum hac de re dicatur, ex narratiuncula, quam Browerus tibi subministravit, non potest inferri, quod tu praetendis: scilicet Maximinianos Religiosos dolis, Criminibus falsorum, praestigijs, veneficijs concitasse Pontifices, Imperatores, Principes contra Archiepiscopos. Demus enim verum esse, quod audio in condemnato tuo, & partiali authore contineri, cuius alioquin fidei in controuersia Maximiniana nihil tribuendum est ob causas praedictas; demus, inquam, Religiosos aliquos Maximinianos a Sathana seductos, Poppini Abbati, quem oderant ob disciplinam seueriorem, maleficio obesse conatos, an continuo sequitur nullum circa annum MXXIV. a Maximinianorum praestigijs tutum esse potuisse? Eisdem praestigias vno volumine conscribi non potuisse? An idcirco pessimis artibus concitasse eos summa orbis capita contra Archiepiscopos? an hoc ita vniuersim Cœnobitis omnibus S. Maximini tribuendum esse?

Nisi etiam sanctissimum Apostolorum collegium proditoris arguere audeas, quod vnus ex illo Iudas a sathanâ seductus Christum prodidit, & pari iure sanctissima quæque & collegia & familias, praesertim quæ multis sæculis celebres fuerunt deprehenso aliquo nauo alicuius particularis palam culpæ & diffamare velis?

Quin potius, mi scriptor, si bonus Catholicus, imò si bonus Christianus es, deprehensum fortè aliquem in Religiosis & Sacerdotibus nauum, charitatis a Christo præceptæ impulsu, obuelas, exemplo magni illius Constantini potius, quàm prodis?

Et si tuos illos praetensos Annales volutasses, aut potius, si fateri veritatem eaudidè & integrè voluisses, retulisses certè sanctissimos & praestantissimos Viros, qui eodem ipso tempore sub Popponis Abbatis disciplina viuebant & passim ad plurima vicina Monasteria instauranda, & ad meliorem disciplinam efformanda Abbates mittebantur. Ita Rudo ex monacho S. Maximini factus est Abbas Hirsfeldensis primùm, deinde Episcopus Paderbornensis Norbertus, Abbas factus ad S. Gallum in Heluetia, Wolmarus in Wirceburg, Humbertus Epternaci, Ello in Brauweiller, Cono in Bosendorff, Theodoricus Neuwillarij, Heribertus ad S. Vincentium Metis, Lambertus Wolcirodori, Berulfus Treuiris ad S. Matthiam, Ioannes nepos Popponis Limburgi, ac deinde in S. Maximino, loco eiusdem Popponis ad Stabulausum Monasterium digressi. Omitto S. Bernardum & Theodoricum, qui deinde facti quoque sunt Abbates S. Maximini. Hi omnes, è quibus aliquot sanctitate illustres fuerunt, viuebant sub Poppone Sancto Abbate, & plerique eo tempore, quo tu Monasterium S. Maximini notatum crimine veneficij diffamas, & inde ad tot Prælaturas diuersis in locis assumpti Monasticam disciplinam, cum Dei & sanctæ Ecclesiarum summâ gloriâ magnopere promouerunt.

Neque verò illius temporis angustijs virtus & sanctitas Monachorum S. Maximini coarctata fuit, si libet historiam percurrere, reperies choros Sanctorum

ex huius Monasterij sacrâ disciplinâ prodijisse. Hic educatos altosque & sanctitate ac miraculis claros effectos. Fibitium, Nicetium, Magnericum, Aredium, Bafinum, Clodulphum, Hildulphum, Spinulam, Benignum, Ioannem, Weomadum, Wolfgangum, Popponem, Bernardum, Adelbertum, Wolfhelmmum, Sandradum, Romuoldum, Simeonem, aliosque plurimos; Et ex his quidem Nicetius, Bafinus, Weomadus, Clodulphus, Hildulphus ad Archiepiscopales Ecclesiæ Treuirensis infulas, Adelbertus ad Magdenburgenses, Wolfgangus ad Ratisbonenses euecti sunt, multi insuper alij ad Episcopatus: Russensem, Hildesheimensem, Leodiensem, Paderbornensem, Ratisbonensem, Wormatiensem, Metensem, Tullensem, ad Abbatias verò innumeri ex hoc sacro loco Monachi assumpti cum magnâ laude præfuerunt.

Hæc potius, mi scriptor, obseruasses & libello tuo inferuisses, maiorem enim verò laudem apud viros cordatos & sapientes retulisses, & non minus causam tuam promouisses; nunc, cum ita in Religiosos infurgis, & tam contemptim de ordinibus sacris, nulla præsertim apparente legitimâ causâ, & sine vlllo tuo, vel causæ, quam defendere conaris, commodo loqueris, meritò prudentioribus te de fide & religione suspectum reddis.

S. III. Religiosi Maximiniani Schismaticis Imperatoribus & Pontificibus non adhæserunt contra Archiepiscopos.

Ottoni Secundo & Henrico IV. & V. Imperatoribus adhæsisse Maximinianos, & quidem cum in Schismate essent, asserit author libelli.

Itemque Pseudopapis, Gilberto & Petro Leonis contra Archiepiscopos & ab istis per falsa narrata, inualida Diplomata extracticasse.

Verum, hoc imbelle omnino & inualidum telum est, tum quia habemus tot præclarissima documenta, Diplomata, Decreta ac Sententias Pontificum, Imperatorum & Regum, Dagoberti, Pipini, Caroli Magni, Ludouici Pij, Ottonis Magni Sententiam, aliaque plurima illius & sequentium Imperatorum Diplomata, de quibus nulla vnquam fuit suspicio Schismatis: tum etiam & præcipuè, quia ea, quæ à num. 15. vsque ad 17. in libello continentur & summam hinc proposui, historicæ veritati quàm maximè repugnant.

Principio falsum est Ottonem II. vnquam fuisse Schismaticum, prout glosator tuus in libello ad Marginem ponit num. 15. sed nec schisma sub Imperio illius propriè fait. Consule Annales Ecclesiasticos ab anno DCCCCLXXIII. quo obiit Otto M. & solus imperare cœpit Otto Secundo, vsque ad Annum DCCCCLXXXIII. Nam Bonifacij (quem sacrilegum sicarium vocat Baronius) cruenta in Benedictum IV. facinora, illustriorem Ottonis fidem erga S. Sedem fecerunt, dum Benedicto VII. eiusque Successori contra profugum Bonifacium adhæsit, adeo vt viuo Ottone Bonifacius Constantinopoli, quo spoliata Basilicâ Vaticanâ profugerat, in Italiam redire ausus non fuerit, sed obitum eius expectare coactus. Quocirca Ottonem II. tanquam peculiariter S. Sedi Apostolicæ addictum, in atrio Ecclesiæ S. Petri Romæ sepultum eiusque tumulum Porphyreticum isthinc spectari accepimus. Lege Baronium ad annos supradictos.

Falsum item est Maximinianos obtinuisse Diplomata sua ab Ottone II.

occasione dissidij, quod inter ipsum, & Lotharium Regem Francorum ortum fuit: nam, vt ex Diplomate Ottonis Secundi, quod postremum ab eo obtinuerunt, & sub Numero decimo sexto exhibetur, videre est, illud concessum fuit Anno DCCCCLXXIV. asserunt autem communi consensu historici, dissidium illud non ante Annum DCCCCLXXVI. incepisse. ita Sigebertus, *in Chronic. Ann. 976.* Guilhelmus Nangis, *in Chronic. Ann. 977.* Baronius, *ad Annum 978.*

Neque verò, quod de amicitia Egberti Archiepiscopi cum Lothario per parenthesis inferis, ab vlllo alio, quàm abs te dictum probabis: semper enim optimus & sanctissimus Archiepiscopus Ottoni Secundi adhæsit, & ipsi Annales tui fatentur eum per triennium cum Ottone Italiam aliaque loca peragrâsse, eiusque coronationi, & deinde nuptijs interfuisse. Imo quantæ auctoritatis apud Ottonem fuerit Egbertus, inde apparet, quòd eius sapientissimis consilijs inductus fuerit Otto II. vt pacem tandem cum Lothario ad Charum fluium Iudij componeret: Illud verò, quod de consanguinitate Egberti cum Lothario addis, valde incertum est, neque etiam intentioni tuæ prodesse potest, nam si genealogias incertissimas scrutari libeat, non poteris probare propinquitatem inter Lotharium & Egbertum, quin eundem gradum consanguinitatis inter Ottonem & Egbertum itabilias.

Falsum similiter est, quod Religiosi Maximiniani se Henrico Quarto excommunicato & schismatico Regi Romanorum adiunxerint, vt nimirum obreptitiè Diplomata obtinerent. Nam, cum ex Schaffnaburgensi *in Chronico Anno 1076.* & Baronio *ad Annum 1076.* alijsque constet, Henricum Quartum demum Anno MLXXVI. à Gregorio VII. Papa fuisse excommunicatum, duo Diplomata, quæ hîc exhibemus sub NN. 26. 27. data & concessa fuerunt ante Annum MLXVII. vti ex eorum inspectione patet, atque adeo diu, antequam Henricus IV. cœpisset in præceps ruere. Tertium verò sub N. 29. quo restituit S. Maximino curtes Suabheim & Ebernesheim ipse vlt. proprio motu, seu potius diuina misericordia, vt loquitur, ipsum graui corporis molestia exterius corripiente, & interiùs mouente & impellente concessit, ita vt pro illo non fuerit necesse Maximinianos Henrico tunc Schismatico adherere.

Falsum præterea, quod Henrico V. se adiunxerint, ad Diplomata nimirum eiusmodi exacticanda contra Archiepiscopos. Nam quæ ab illa obtinuerunt, ea, vel interuentu Brunonis Archiepiscopi, vt id quod sub Numero trigesimo habetur impetrârunt, vel ad postulationem Paschalis legitimi Pontificis, vt id, quod est sub Numero trigesimo primo, ac proinde non magis Henrico adhærebant Maximiniani, quàm ipsemet Bruno & Paschalis. Itaque cum inde appareat Henricum subinde Sanctæ Sedi reconciliatum fuisse, editis pœnitentis animi signis, eo tempore obtenta ab illo Diplomata aliqua contra turbantes, ad Iuris defensionem, quis poterit meritò reprehendere? Quanquam aliundè nemo poterit meritò culpâre Maximinianos, si contra Henricum V. non steterunt, cum in tota Germania non nisi quinque fuisse Episcopos, qui se Henrico V. opponerent, narret Spondanus, *ad Annum 1076. n. 4.*

In quo insuper mirari satis non possumus, quid tantopere vitio vertas Maximinianis, quod aliqua non adeo ad hanc quæstionem necessaria Diplomata habeant concessa à Regibus Romanorum, quos de schismate malè arguis, cum tu ipse proferas tanquam magnum tui Iuris fundamētum vnum sub lit. D.

concessum à Friderico Barbarossa, illo nempe, qui tot tamque grauibus irretitus fuit schismatibus, censuris & cum S. Sede diffidijs.

Denique, cum dicis, quòd *ijdem monachi se adiunxerint Gilberto ac Petro Leonis Pseudopapæ contra Archiepiscopos suos Egilbertum & Brunonem legitimis Pontificibus adherentes*, totidem pænè falsitates profers, quot verba.

Nam in primis Egilbertus non adhæsit legitimo Pontifici, sed Gilberto Antipapæ, quem Clementem III. vocabat; at verò Gregorio VII. legitimo Pontifici acerrimè aduersatus fuit; Etenim eos, qui ipsius partes tuebantur, persecutus est, remuneratus verò illos, qui ipsum oppugnabant, vnde Theodorico cuidam, quòd duos libros in Gregorium scripsisset mendacijs & impietatibus refertos, Abbatiam Sancti Martini Treuiris donauit. Pallium quoque, non à Gregorio, sed à Gilberto Antipapæ accepit, & cum viginti duobus circiter annis in schismate Henriciano vixisset, in eodem vitam finijt. Hæc sparsim reperies apud Baronium *ad Annum 1093. num. 6. & alibi*. Magnum Chronicon Belgicum *pagina 126. & sequent.* Annales Treuirenses *in Egilberto*, scriptores vitæ Egilberti & alios.

Bruno quoque, non adhæsit semper legitimis Pontificibus, nam initio Archiepiscopatus sui contemptâ autoritate Paschalis II. Pontificis legitimi, ab Henrico Quarto præter Regalia etiam inuestituram & Episcopalia accepit, scilicet anulum & baculum; mox tamen à Paschali reprehensus & Archiepiscopali dignitate priuatus est. Ita auctor gestorum eius, *in Annal. Treuirens.* At verò, contra Successorem Paschalis Gelasium II. legitimum Pontificem, Bruno apertè stetit, & cum Frangipanibus partes Mauritij Burdini ab Henrico Quinto intrusi Pseudopapæ acerrimè, etiam armis pugnando, tutatus est. Extare dicitur eiusdem Brunonis epistola ad Henricum Quintum apud Browerum tuum, lib. 13. quæ id luculentè testetur.

En, mi scriptor, quomodo Egilbertus & Bruno Archiepiscopi legitimis Pontificibus adhæserunt, ijsque coniunctissimi fuerunt.

Similiter, falsissimum est quod dicis Maximinianos se astutissimè adiunxisse Pseudopapæ Gilberto & Petro Leonis contra Egilbertum & Brunonem.

Neutri enim istorum adhæserunt Maximiniani, neque tu contrarium probas, neque probare potes. Sed eos legitimis Pontificibus scilicet Paschali II. cui Gilbertus aduersabatur adhæsisse, & Innocentio Secundo, contra Petrum Leonis, probatur ex Diplomatis sub Numero trigesimo primo & trigesimo tertio. Et cum, vt testatur Baronius, *ad Ann. 1130. numero 48. 55. 57. 61.* omnis Germania & Gallia adhæserit Innocentio Secundo, & contra Petrum Leonis steterit, quomodo solos Maximinianos ab hac vniuersalitate audes excipere? quomodo illi soli ausi forent se à toto Imperio separare? Et verò constat, mortuo Gerardo Abbate Sancti Maximini, eius Successorem Sigerum Romam profectum, ab Innocentio II. consecratum, & Diploma Num. 33. citatum obtinuisse.

Deinde quomodo potuerunt adherere Gilberto contra Egilbertum, cum constet, vt dictum, illos duos coniunctissimos fuisse.

Quomodo item adiunxissent se Petro Leonis contra Egilbertum, cum certum sit Annalibus Baronij, illum Pseudopapam Sedem Romanam occupasse primùm Anno MCXXX. quo tempore Albero erat Archiepiscopus Treuirensis, inter quem & Egilbertum tres fuerunt Archiepiscopi sibi mutuò succedentes, Bruno, Godefridus & Megenherus. Ita vt tam Egilbertum,

quàm Brunonem diu ante Petri Leonis schisma obiisse certum sit; ac proinde merum figmentum est, quod dicis, Maximinianos adhæsisse Petro Leonis contra dictos duos Archiepiscopos.

Similiter Gilberto non potuerunt adhærere contra Brunonem, quia Gilbertus obierat, antequàm Bruno esset Archiepiscopus, nam, vt ex dictis constat, à Paschali II. Bruno tandem Archiepiscopatus confirmationem accepit, Gilbertum verò sub initium statim Pontificatus Paschalis desperandum obiisse, Anno MC. tradit Baronius.

Denique quod dicis Maximinianos adiunxisse se Henricis IV. & V. contra Egilbertum & Brunonem, æquè falsum est. Nam dictis Imperatoribus duo illi Archiepiscopi coniunctissimi fuerunt, vt ex Baronio alijsque historicis supra citatis certissimum est, & Annales ipsi tui Treuirenses, quibus niteris, id manifestè fatentur. Qui inter alia asserunt Egilbertum ab Henrico IV. Archiepiscopatus Treuirensis inuestituram accepisse, ei semper adhæsisse, ideò excommunicatum fuisse, & pro tali à Clero Virdunensi & Metensi habitum. Brunonem verò Archiepiscopum Henrico V. adhæsisse, tu ipse satis fateris in prætenso tuo Conradino, quod exhibes sub lit. C. vbi habetur, quod idem Bruno apud diuæ recordationis Henricum IV. Imperatorem Conradi auunculum (qui est ipse Henricus V. Germaniæ Rex) causam contra Sanctum Maximinum egerit, ac proinde nihil potuit ab isto Imperatore obreptitiè contra Brunonem exercitari; præsertim cùm aliunde constet eundem Brunonem à præfato Henrico V. quem educauerat, patris loco habitum, & defuncto Henrico IV. Vice regis in Germania dignitatem obuiisse, & tota vita sua Henrici V. partes studiosissimè sectatum. Et tu mundo audes persuadere, Maximinianos opera istorum Imperatorum contra hos Archiepiscopos vsos?

Equidem ex dictis hoc §. apparet, quod, si studio quispiam falsitates congerere conatus esset, non potuisset id feliciter præstare, quàm à te paucis illis verbis factum est.

SECTIO QUINTA.

Conradi II. siue potius III. Diploma Alberonis potentia obtentum refutatur.

TRANSIT Scriptor libelli ab Henricis ad tempora Alberonis Archiepiscopi Treuirensis, & Conradi III. Imperatoris, & à n. 17. vsque ad 21. duo potissimum asserit. Primò, Monachos S. Maximini aperto Marte insurrexisse, & insigniter rebellasse, contra Alberonem Archiepiscopum, ac ope, vi & armis Comitis Namurcensis, Archidiecepsin Treuirensis vastasse. Secundò, Conradum Regem, ad instantiam Alberonis sententiam tulisse, quam exhibet sub lit. C. qua *tus omne proprietatis Abbatie S. Maximini Archiepiscopis reddiderit, quam Abbatiam dicit Antecessores Conradi Imperatoris vi Archiepiscopis eripuisse, & ad se traxisse.* Addit verò per dictam sententiam Monachorum Diplomata cassata, Aduocatiæ Luxemburgensem extinctam.

Falsum porro est Maximinianos contra Alberonem rebellasse, & ex ipsis verbis suis auctor libelli, falsitatis conuincitur; nam si Imperatores, Conradi prædecessores Abbatiam Archiepiscopis, vt ipse malè dicit, *vi eriperant & ad se traxerant*, seu potius (vti verè euenit) iniustas Archiepiscoporum peti-

nes reiecerant, & Abbatiam (iustis utique sententijs & decretis) suæ Iurisdictioni conseruârunt; quomodo Religiosi Maximiniani ante Conradi præsentiam sententiam, contra Alberonem insurrexerunt, & insigniter rebellârunt, cum illius Iurisdictioni tunc temporis non subessent?

Deinde præsentum illud Diploma, quod exhibetur sub lit. C. non esse aut posse dici sententiam, imò ne quidem Rescripti validi efficaciam illi concedi posse, apertissimis & fortissimis argumentis, quæ subijciam, clarè demonstrabitur. Quod ut meliùs intelligatur, visum est hic præsentum illud rescriptum iisdem verbis, quibus in libello exhibitum est, ob oculos ponere.

Littera C.

*SENTENTIA CONRADI II.
Romanorum Regis de Anno MCXXXIX.*

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Conradus diuina fauente clementia, Romanorum Rex semper Augustus. Alberoni Reuerendissimo Treuirensium Archiepiscopo, Apostolicæ Sedis Legato, eiusque Successoribus in perpetuum. Si Fidelium nostrorum iustis petitionibus aurem serenitatis nostræ accommodamus, opemque ipsis ex supernæ largitatis beneficio præbere studuerimus ad perennis vitæ salutem feliciter obtinendam, & Regni nostri pacem stabiliter ordinandam, hoc nobis profuturum esse liquidò credimus: quocirca omnium fidelium nostrorum, tam futurorum, quàm præsentium solertia notum esse volumus: quòd à longis retro temporibus, Treuericæ Sedis Archiepiscopi non cessauerunt, Prædecessoribus nostris Regibus & Imperatoribus proclamationem facere de Abbatia S. Maximini, quæ in fundo B. Petri constructa est, & ad Episcopium Iure proprietatis pertinens iniuste ablata est; sed nostra memoria multò frequentius eandem querimoniam ventilauerunt apud diuæ recordationis, Henricum Auunculum nostrum, Romanorum Imperatorem quartum, Venerabilis Archiepiscopus Bruno; apud Prædecessorem nostrum Lotharium Imperatorem Tertium, Vir magnæ Reuerentiæ, nobisque summè fidelis Albero Archiepiscopus Apostolicæ sedis legatus. Ad postremum cum priuilegia sua prædictus Archiepiscopus Albero, prænominato Imperatori Lothario, quæ de superscriptæ Abbatia S. Maximini possessione habebat, crebrius obtulisset, & eidem Imperatori pro hoc maximè consequendo beneficio in expeditione Apuliæ, cum magno & periculo, & sumptu fideliter deseruisset; tempus augendæ sibi Iustitiæ interuentu Principum obtinuit; sed Imperatoris morte præuentus, causam iam quidem cœptam, sed minimè consummatam reliquit: Nobis autem per Dei misericordem prouidentiam, ad Regni gubernationem sublimatis, fidemq; ipsius Archiepiscopi, studiū & labores circa nostram & regni fidelitatem multis argumentis præsentientibus: Idem Archiepiscopus rediuiam proclamationem, magnis & assiduis allegationibus in oculis Principum præsentauit; proferens utique antiqua priuilegia, possessionem Abbatia S. Maximini suo Episcopo Iure confirmantia. Vnum siquidem Dagoberti Regis Francorum, Datum B. Modoaldo Treuirensis Ciuitatis S. Archiepiscopo, in quo per annuli sui notam impressionem confirmat, eidem beato Pontifici eiusque Successoribus, in perpetuum, super eadem possessione, præcepta Prædecessorum suorum, videlicet Regum Francorum Sigeberti,

Theodeberti, Theoderici & sui gloriosi Genitoris, Regis Clatharij, vbi expresse, & sine vllâ ambiguitatis nebulâ continetur, quòd Cella S. Hilarij, quæ nunc appellatur S. Maximini quæ est in prædio S. Petri constructa, ad Treuericum Episcopium pertineat. Aliud nihilominus præceptum Caroli, Regis Francorû, notâ imagine signatum, recitabat concessum Weomado, Treuirensis Ecclesiæ Archiepiscopo, in quo genitoris sui illustris Regis Pipini, & aliorum Regum Francorum præcepta innouat & confirmat; quod vt eisdem vtamur verbis Cella S. Maximini, quæ est in territorio S. Petri Apostolorum Principis, constructa, ad Ecclesiam S. Petri Treuericæ Urbis pertineat. His igitur & similibus firmanentis suffultus, honorem Regis, qui iudicium diligit, & æquitatem Principum instanter implorabat, vt sæpè nominatam Abbatiam S. Maximini, quæ simpliciori & antiquo vocabulo, Cella S. Hilarij, vel S. Maximini, dicebatur, suis prædecessoribus iniuste ablatam, sibi suisque Successoribus Iure iudiciali restitueremus & Prædecessorum nostrorum sequentes morem, nostri præcepti paginam factam confirmantes, ad posteriorum notitiam transmittere dignemur. Nos itaque in hoc ipsum, tum manifestæ Iustitiæ attestacione, tum etiam precibus & petitione Venerabilis Patris nostri, Papæ Innocentij Secundi, & præterea ipsius dilectissimi ac fidelissimi nostri Archiepiscopi Alberonis obsequio & multimodâ deuotione, rationabiliter inclinati, ex Iudicio curiæ nostræ reddidimus, eidem Venerabili Archiepiscopo Treuironum Alberoni Apostolicæ Sedis legato, secundum tenorem antiquorum priuilegiorum, sæpe memoratam in suburbio Treuirensi S. Maximini Abbatiam omni Iure Proprietatis, habendam, possidendam, ordinandam, eâ integritate vel vsu, quo Nos, vel Antecessores nostri eandem Abbatiam hæctenus habere videbamur; transfundentes per ipsum suis in perpetuum Successoribus Canonicè ordinatis, & nostri Regni fidelitate manentibus. Et, vt hoc per Succedentia tempora ratum, inconuulsûmque permaneat, hac præcepti nostri pagina totam rei seriem comprehensam Sigillo nostro insigniri fecimus, testesque de Principibus qui affuerunt subter notari iussimus. Testes sunt Boccho Wormatiensis Episcopus. Stephanus Metensis Episcopus. Embrico Wirecburgensis Episcopus. Warnerus Monasteriensis Episcopus. Guibaldus Stabulensis Abbas. Fridericus germanus noster, Dux Sueuiæ. Conradus Dux de Coringeo. De Clericis Treuirensis Ecclesiæ: Folmarus Decanus Maioris Ecclesiæ. Arnulphus Archidiaconus, Conradus, † Cadolius, Henricus Canonici de locus signi Regij. ministerialit. eiusdem Ecclesiæ: Erfoorthnius & alij multi.

Actum Argentinæ. Anno Dominicæ Incarnationis MCXXXIX. Indictione secunda. Regnante Domino Conrado Romanorum Rege Secundo. Anno Regiminis ipsius II. feliciter. Amen. Signum Domini Conradi Secundi Regis inuictissimi. Ego Arnoldus Cancellarius, ad vicem Adelberti Archicancellarij Moguntini Archiepiscopi recognoui.

Proderit etiam videre alterum Conradi Regis Rescriptum, quod in libello sub lit. V proponitur hisce verbis:

Sententia Conradi II. Regis, Spirâ pridie Nonas Ianuarij MCXLVI.

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego Conradus diuina fauente clementia Romanorum Rex Secundus, tam præsentibus, quàm futuris, in

per-

perpetuum. Omnipotentis Dei gratiâ, quæ nos ad Regiæ potestatis sublimauit officium, ex debito compellit subditarum Nationum, & Ecclesiarum Dei Iura tueri, & seruare, quæ aut abolitione temporis sunt sublata memoriæ, aut sæculari potentiâ sunt ablata iniuriôsè. Eapropter querelam dilecti nostri Alberonis Venerabilis Treuirorum Archiepiscopi, quam in præsentia nostrâ & in conspectu Principum sæpe & multum deposuit, inclinati eius iustis precibus, ex consilio recepimus, scilicet de Abbatia Sancti Maximini, quæ olim à Beato Hildulpho de bonis Treuirensis Ecclesiæ fundata, Regia potestate, vt erat querimonia Archiepiscopi, à prædicta Ecclesia est subtracta; timens itaque extremi examen Iudicij, ne propter hoc apparerem reus in conspectu Domini, cum totum esset in manu nostra, Abbatia scilicet & Aduocatia; propter animæ nostræ & Prædecessorum nostrorum salutem, Treuirensi Ecclesiæ & Archiepiscopo resignauimus & tradidimus Abbatiam: postea verò successu temporis Aduocatiâ quæsiuit & obtinuit à nobis, Henricus Comes Namurcensis, qui non contentus Aduocatiâ, longo tempore certauit cum Archiepiscopo de Abbatia: Cum vero hinc inde totus Episcopatus rapinis, incendijs, homicidijs, destrueretur, & Comes, & tota terra sua à Romanâ, & Treuirensi Ecclesia Anathematis sententia teneretur, & beneficia sua prædicto Comiti à Nobis & ab Archiepiscopo essent legitimè abiudicata, vt tanta cessaret malitia, ad præsentiam nostram, ex consilio Principum pars vtraque Spiram est aduocata; illic itaque operante diuinâ clementiâ, per Nos, & per Principes nostros, & per Dominum Abbatem Clareuallensem inter eos hoc modo pax est reformata: Comes per omnia Archiepiscopo satis faciens reiurauit ei fidelitatem, & vverpiuit ei in præsentia nostra, & omnium qui affuerunt, Abbatiam, & omnem abstipulauit de ea calumniam, & sic ab Archiepiscopo absolutionem & beneficium suum recepit, excepto Castro de Manderscheidt & pertinentijs ad illud: Iurauit etiam Comes, quod nunquam Rodolfsburg refirmaret, nec alium refirmare iuaret, nec Archiepiscopi diebus, nec Successorum suorum temporibus; & si in aliquo contra eum faceret, quod infra decem & octo septimanas emendare non vellet, suam terram in manum Archiepiscopi redderet, ita vt beneficiati de illa terra, de manu Archiepiscopi, liberè deinceps reciperent, & tenerent beneficia sua: vt autem hæc pactio irrefragabiliter seruetur & rata permaneat, hanc chartam inde conscriptam & manu nostra roboratam, impressione Sigilli nostri iussimus signari, nec non & testés, sub quorum præsentia hæc acta sunt & firmata, fecimus annotari. Quorum nomina hæc sunt: Hermannus Constantiensis Episcopus. Ordienus Basiliensis Episcopus. Walterus Lausanens. Episcopus. Burckardus Argentinenfis Episcopus. Bocco Wormatiensis Episcopus. Gunterus Spirensis Episcopus. Anselmus Huelbergensis Episcopus. Dominus Bernardus Clareuallensis Abbas. Fridelaus Augiensis Abbas. Benedictus Abbas Wicenburgenfis. N. Abbas Morbacensis. Magister Otto Præfectus Cappenbergensis. Gerlandus Floreffensis. Godefridus maior Sancti Petri Præpositus. Conradus S. Paulini Præpositus. Bono S. Castoris Præpositus. Arnoldus Moguntinensis Camerarius. Ludouicus Sancti Petri Præpositus. Duces: Fridericus Sueuorum, Conradus Burgundionum. Hermannus Palatinus Comes de Rheno. Henricus de Arlo. Vdelricus Comes de Lecenberg & Warnerus Frater eius. Ekebertus Comes de Spira. Conradus Comes de Kirberg. Gerlacus Comes de Veldence. Ludouicus Comes de Moguntia. Emicho Comes de Leninge. Robertus Comes de Lutzemburg. Simon Comes de Sarebrucke. Reimbaldus

de

de Isenburg. Cuno de Malberg. N. de Lucellemburg. Adelinus, Anselmus, Wilhelmus, Iacobus, Conradus de Dalheim. Signum Dñi Conradi Romanorum Regis secundi. *Locus signi.* Ego Arnoldus Cancellarius

Vice Henrici Moguntini Archiepiscopi & Archicancell. recognoui. Data pridie Non. Ianuat. Indictione IX. Anno Dominicæ Incarnationis MCXLVI. regnante Conrado Romanorum Rege secundo, Anno Regni eius nono. Actum Spiræ in Christo feliciter, Amen.

Priusquam horum rescriptorum refutationem auspicemur, ex gestis Alberonis Archiepiscopi pauca præmittenda sunt.

s. I. Quis & quantus vir fuerit Albero Archiepiscopus.

Magnum equidem Virum fuisse Alberonem Archiepiscopum Treuirensis, & ingentibus animi dotibus præditum, negari non potest, vehementis insuper & imperterritæ mentis, ita, ut quæ animo concepisset, opportunè, importunè conficeret. Quod ut innotescat, libet hîc, non meis, sed ipsius familiaris & domestici Baldrici verbis referre, quis Vir ille inde à Iuuentute fuerit, & quibus modis & vijs ad summa contenderit, ac demum Abbatiam S. Maximini à Conrado II. petierit.

Baldricus igitur Tit. I. in gestis Alberonis. *Iste homo, inquit, nouus cæpit esse miles, & mirabilibus ingenij atque consilij sui armis esse Ecclesia sanctæ defensor. Mox, ut ostendat, ingenium Alberonis, ad particularia descendit in hæc verba: Litteras Domini Papæ, interdicti sententiam continentes, cum nemo Metis, timore crudelissimæ mortis, auderet afferre, iste Albero adhuc secularis Clericali se togâ induit, & peplo muliebri caput & vultum inuoluit, & cappâ de panno griseo se super induit, atque in specie peregrinæ mulieris, tanquam Thus ad altare deferens, litteras Domini Papæ altari imposuit, indeq; reuertens canonicos, quos in ipsa Ecclesia S. Stephani vidit, ad se conuocauit, quod litteras Domini Papæ in altari acciperent & reuerenter legerent, indixit. Illi autem cum iam eum cognoscere inciperent, furere & constrepere, & sonitu campanæ populam Ciuitatis in eum concitare accelerabant, ipse vero, antequam ipsum possent comprehendere, equum, quem ante fores Ecclesiæ præparauerat velocissimum ascendit, & cursu citatissimo aufugit, quem cum homines Ciuitatis illius equites & pedites, vsque ad villam, quæ dicitur Arbenhæi, insequerentur, ipse forti Equo, quo insidebat, transnatauit Mosellam fluuium, & vsque ad Castrum, in patrimonio ipsius Episcopi Poponis situm, ad eundem Dominum suum peruenit. Consilij arte insidias Regis multoties euasit. Rex enim ipse Romanam eunti omnes vias obstruxerat, & de morte ipsius omnibus sibi subiectis præceperat. Aduersarium enim & inimicum Regni eum publicè pronunciauerat. Ipse vero transfigurando se in diuersas formas per medios hostes ibat incognitus; aliquando enim seruos suis vestibus induebat, & ipse seruili habitu illis ministrabat, equos procurabat, cænam præparabat, calceamenta detrahebat, reliquias seruorum comederat: aliquando inter mendicos ibat, aliquando cum Mercatoribus, ut merces ferens, atque pluribus alijs modis se transformabat, non solum vestes mutando, sed etiam vultum, capillos & barbam, ne agnosceretur, colorando. Dicitur quoque quod aliquando Regi & exercitui eius, formam simulans contracti & sedens in asino, occurrit, & à Regina quinque solidos in Eleemosynam recepit, & in itinere longius comitatus processum sub specie Mendici, Regis sub mensâ locatus, audierit plurima Regem ipsum cum Regina, & cum alijs suis fidelibus loquentem, de his, quæ contra Pa-*

pam machinatus erat, atque inter cetera, de insidijs contra ipsum Alberonem discretantem, & que via ipsi Romam tendenti essent interclusa: quas Regis insidias sic premonitus, cum omnes euasisset, Romam perueniens, Regina remandauit multas & magnas gratias, pro accepto ab ipso beneficio: ipsum enim se esse denunciavit, cui quinque solidos sedenti in asino dedisset. Cumq; Rex Romam ipsum peruenisse intellexisset, non solum per litteras, sed per mare ipsi insidias praparauit, ne rediens euadere posset, quod nec ipsum Alberonem latuit. Vnde ipse Romam reuertens, cum Pisas venisset, sciensque quod Rex Pisanis de morte sua mandasset, portum nauium non audebat per ipsum adire, ne forte ab his, qui praparati erant insidiatores, ibi expectaretur. Seruus eius pro se atque socio tanquam adhuc venturo nauem idoneam & paratam conduxit: die autem, qua nauis conducta, à littore soluenda erat, seruus eius cum rebus suis nauem conscendit, ipse autem intrare eandem nauem non audebat, eò quòd plurima turba in portu ad spectaculum staret, inter quos etiam insidiatores suos esse timebat. Vnde alio loco in praparata nauicula cuiusdam piscatoris manè ascendit, & vix eo die nauem pracedentem affecutus est, in qua seruus eius erat, quam cum ascendere vellet, lapsus est in mare, & aliquamdiu natans in aquore, fune de puppi deiecto, vix tandem attractus est in nauem, qui cum serò, siccatis vestibus, cum nauis comederet, ceperunt pulcherrimas manus eius considerare, & ex hoc perpendere, quod plebeius non esset. Coacti autem fuerunt naua Pisanis fidem dare, quod nullum ferentem litteras Apostolici, in suam nauem reciperent, vnde & dicebant Alberoni, se velle oculos eius respicere, ne forte litteras contra Dominum Imperatorem deferret. Et referebant ei qualiter mandatum super hoc à Pisanis recepissent, fidemque dedissent. Ipse verò Dominus Albero litteras absconderat in pixide eburnea serata, quam panno tyrio honeste inuoluerat, tanquam rem sacrã, dicebatque esse sanctorum Reliquias quas de transmarinis partibus adferret, addebatque quod illarum suffragijs, cùm in mari fluctuaret à periculo sit liberatus. Vnde illi conterriti reuerentiam rei sacræ impendentes, aperire non audebant. Sic, & hæc, & multa alia euasit pericula. In Episcopatu Argentinenfi, quadam vice, dum Regales insidias sibi sciret in via, qua iturus erat praparatas, nec aliorum iam declinare posset, chlypeo, lancea, & vestibus militaribus se adornans, forti sedens equo, per medium eorum ferebatur sellinus, requirens subito ab eis, si Alberonem Metensem Diabolum transfuentem ibi vidissent, adiungens, quod Rex ad illum capiendum ipsum misisset, maledicebatque ei dicens, tam malas horas det illi Deus, sicut ego habui totã nocte insequendo illum: sic mille artibus insidias Regis illudere solebat. Metenses verò tempore huius discordiæ domum eius, quam in Ciuitate illorum habebat, bis destruxerunt, bonis ipsius distractis. Sed ipse quoque his compulit eos eandem reedificare, & ablata restituere. Tandem de sancto supradicto Metensium Episcopo Poppone, alium absque voluntate Regis fecit Metenses habere Episcopum quendam miræ sanctitatis Virum, qui, cum creatus esset in Episcopum, non est in Ciuitate receptus, sed intra paucos dies ad æternæ Ciuitatis habitaculum translatus est. Post quem eas fecit habere Episcopum, Stephanum nomine, fratrem Reginaldi Comitis de Mouzon, hoc amore Comitis Reginaldi putatur fecisse, nam ipsi duo, vnum par amicitia videbantur esse. Vnde etiam tempore prædictæ discordiæ, idem Comes ipsi Alberoni Castrum suum Mouzon accommodauerat, vt guerram inde Metensibus inferret. Ex quo Castro, quodam tempore latenter intrans Ciuitatem, in domum cuiusdam Viduæ declinauit, manequæ factò subito equum ascendens per plateas sese ostentabat, quo cognito, clamor per totam Ciuitatem exorsus est, & quicumque equos habebant, ipsum longè extra Ciuitatem persecuti sunt. Comes verò Reginaldus (sicut condixerat ipse & Dominus Albero) milites in insidijs tenebat, & insultum in Metenses faciens, plurimos ex eis cepit.

Contigit verò postea Comitem Reginaldum Metensibus confederari, acceptis muneribus, quæ excæcant corda sapientum, & defecit ab amicitia Domini Alberonis, quod, ipse Dominus Albero indignè ferens, minas graues in faciem eius protulit, manifestè prædicens, quod magnum dedecus ex hac re ipsi esset prouenturum, iubensque subito coram Comite infellari, ad Regem properando peruenit, in cuius gratiam plenariè nouiter redierat, & multa loquendo effecit, quod ipse Rex Mouzon peruenit, & cum illud cum exercitu obsedisset, nocte fugiens Comes, Barris euasit: Rex autem Mouzon relinquens, Barrim multo milite circumdat, & dum Comitem ad deditonem compulisset, captiuum eum abduxit. Sed tandem multis precibus flexus Albero, eum liberum & absolutum reduxit, & deinde amicitia eorum, quæ ad horam fuerat dissoluta, tam constanti firmitate est consolidata, quod nullus casus, sed neq; mors eam dissoluere potuit. Is igitur, Dominus Albero iam in his diebus multum creuerat dignitatibus & redditibus. Hæc ibi Baldricus. Eodem titulo, vocat Alberonem, Virum acrem & in omnibus prouidum. Mox etiam vocat, Virum inexpugnabilem & imperterritum, comparatque eum cum fluuio, qui clausus; cum prius silenti tractu quietus incederet, obstaculi quasi indignans oppositionem strepitum tumultuanti, undisque spumantibus lictora fatigat, claustraque dirumpit. Paulò post hæc addit. Quod cum Dominus Albero venisset Aquisgrani ad curiam Imperatoris, Lotharius Rex Franciæ (ita vocat Imperatorem ob Regnum Lotharingiæ) noluit eum inuestire regalibus, eò quod ante recepisset consecrationem Episcopalem, quam suam inquisiuisset inuestituram, & omnino, ut credebatur, Rex se ei opposuisset, nisi, quod ipsum talem Virum esse sciebat, qui faciliè totum mundum sui Imperij contra ipsum commoueret. Paulò post addit sequentia. His diebus Archiepiscopus Albero multa colligendo factus est valde abundans in rebus, & undique conrasit sibi, quod mens uile suasit, & nec Cænobij proprijs hac parte pepercit. Vnde & Ecclesiam S. Eucharij sanctique Matthiæ Apostoli nimis attriuit, nimiumque grauauit, & quotidie succrescens ad quædam magna quæ mente gerebat, præparationem faciebat. Abbatiam S. Maximini ex antiquis priuilegijs Ecclesiæ suæ in fundo S. Petri sitam, & de Iure antiquo ad suam pertinere dispositionem intelligens (sed perperam, ut pluribus ostensum est supra p. 1.) omnino animum apposuit, quomodo eam de potestate Regis eriperet, suæ Ecclesiæ restituerit: propter quod in expeditionem Italicam cum Rege Lothario profectus est cum sexaginta & septem milit. pulsoque Rogerio Sicilia de finibus Apulia, quam occupauerat, dataque ea Riginaldo Duci, & recuperatis B. Petri Regalibus &c. à Domino Papa Innocentio legationis officio decoratus est. Post hæc cum Wernerî & Ioannis Fratrum, Comitum Ottonis de Reineck attentata in Arras narrasset, hæc subdit. Per coronam suam (Albero) iurauit se nunquam barbam suam rasurum, nisi & suum Castrum Arram prius reciperet, & illorum fratrum V Wernerî & Ioannis Castrum destruxisset, quod & utrumque fecit, ut ibi postea pluribus memoratur. Tandem, quibus modis Albero sibi Conradum postea Imperatorem, à quo pro Abbatia S. Maximini prætensum ab Aduersario Scriptore Rescriptum accepit, obligauerit, in hæc verba exponit, Domino Alberoni Archiepiscopo, quia penes eum Regni videbat Robur & mentem existere (Conradus nondum Imperator, sed Imperium ambiens) sese familiaritate magna & seruitio adiunxit, & tantà tunc coniuncti sunt amicitia, quod post obitum Lotharij Imperatoris omni studio Albero laboraret, contradicentibus fere omnibus Regni Principibus, eum in Regnum sublimari. Effecit enim magnâ suâ industriâ, quod Dux Fridericus Frater Conradi Regis, & Bochus VVangionum Episcopus, cum ipso Conrado ad Colloquium suum Confluentiam conuenerunt, ad quod Colloquium, Colonienfis Archiepiscopus Arnolphus occurrit, & tandem post multa consilia Dominus Albero

Archiepiscopus Conradum in Regem eleuatum Aquisgrani cum magna deducens multitudinem, Regali vñctione confirmauit in Regnum. Postea Saxones cum Duce Lothary Regis genero diem & locum Conrado Regi Hersfelt prescripserunt, vt belli discrimine discernere, vt inuisse regnare inceperit, an non? Dominus Archiepiscopus se venturum cum viginti millibus promiserat, sed quingentos adduxit milites, triginta carratas vini, & immensam victualium copiam secum adduxit, carris fere opinione infinitis. Illic Albertus Iunior, tunc Moguntinus Episcopus, omnimodis laborabat, vt ad maiorem discordiam malum hoc excresceret. Ipse autem Albero Dei adiutorio elaborabat, quod in pace diuisi sunt ab inuicem, cum tamen multa millia, magno odio ad pugnandum conuenissent. Ipse vero Episcopus Albero omnibus in pace compositis, singulis Principibus, singulas misit vini carratas, & maximè Saxonibus. Et notanda in hac re subtilitas ingenij in Domino Alberone: perpendit enim plus conferre ad Victoriã, atque ad animos accendendos virorum vini copiam, & aliorum victualium, quàm multa millia famelicorum. His omnibus ita peractis, Abbatiam S. Maximini pro his & alijs seruitijs à Rege Conrado recepit. Non multò post hæc, cum narraffet, qualiter Confluentini Apostolicum rescriptum ab Innocentio Papa contra Alberonem obtinuissent, sic prosequitur: Litteras Apostolicas retulerunt Domino Archiepiscopo, sue voluntati valde contrarias, quas, cum Domino Archiepiscopo in Synodo residenti obtulissent ipse ex animi commotione ipsas in terram deiecit, vnde apud Dominum Papam accusatus, ab ipso vocatus ad diem prescriptum, & cum ad diem non venisset, Episcopali officio est suspensus. Titulo verò De aduentu Eugenij, hæc habet, in Concilio (Rhemenfi) prior in ordine cunctis residens Episcopis, relege de primatu sedis sue plurima fecit priuilegia, super omnem Belgicam, Galliam atque Germaniam: quibus auditis Rhemenfis Episcopus non mediocriter turbatus est; vnde & homines illius, cum hominibus Domini Alberonis turbationem facientes, aliquos ex eis vulnerauerunt: quod ipse Dominus Albero valde indignè ferens, minabatur inodij se fessurum, & Rhemensem vastaturum Episcopatum &c. Titulo eodem & præcedenti, cum sæpius in castris & prælijs Alberonem iam Archiepiscopum in persona coram comparuisset memorasset, tandem de Seniore Alberone in Exercitu contra Comitem Palatinum Hermannum agente, hæc adijcit. Videres senem illum tam totum defectum corpore, acies peditum ordinare, equites militari arte disponere, notos ex nomine singulatim appellare, de ignotis, qui sint interrogare, vt ex ipsa interrogatione non solum notitiam imò etiam familiaritatem tanti Principis sibi acquisuisse viderentur; tunc exhortatoriam orationem, tenens crucem Archiepiscopalem in manibus cepit ad armatas acies tali modo facere. O vos amici &c. Denique titulo de moribus &c. ait, Alienos in omnibus agendis & valde inusitatos mores habuisse &c. Nec in ambulando, nec in equitando, nec in dormiendo, nec in vigilando aliorum hominum consuetudine habebat.

Talis igitur ac tantus Vir fuit Albero Archiepiscopus, Formidauit eum Lotharius Imperator, Conradus Imperium ab eius manibus & potentia accepit, Imperium Romanum eius consilijs mouebatur. Quibus positis & præmissis, nunc considerandum, quam vim habere potuerit prætensa illa redditio (vt dicitur) Abbatie S. Maximini à Conrado facta & Rescriptum (quod falsò vocatur sententia) concessum Alberoni, potentissimo illi Principi.

s. II. Non extitisse vnquam tale Diploma.

Pincipiò, non credimus, quod prætensum illud Rescriptum sub litt. C. vnquam tale, quale exhibetur extiterit.

Primò, quia id, quod tum hîc exhibetur, tum alibi, in litibus & conferentijs exhibitum fuit, non nisi exemplum, nescio vnde extractum & exemplatum est. Cuius originale, nunquam etiam ad instantiam nostram ostendi potuit & de iure quidem eiusmodi Exempla, vt fidem mereantur, ex Originali, præfente vel citatâ parte, extrahi debere notum est & probatum supra Sect. 2. §. 4.

Secundò, fidem non meretur, quia diem non habet adiectum, quo fuit concessum, hoc autem Iura ad Rescripti valorem exigunt, *l. Si qua C. de diuersis Rescriptis. Si beneficia, inquit Imperator, personalia sine die & consule fuerint deprehensa, autoritate careant.*

Tertiò, suspectum est, quia anni Dominicæ Incarnationis adiecti, cum annis Regni Conradi non conueniunt; nam cum anno MCXXXIX. mense Aprili, Confluentiæ primum electus fuerit, teste Baronio *ad annum 1139.* & Aquisgrani Coronâ Regiâ donatus, qua ratione dici poterit idem annus fuisse secundus Regni illius, prout in fine Diplomatis positum est. Quæ suspicio vehementer ex omissione diei roboratur & præsumptionem male fidei parit, atque adeò, quòd studio dies omissus sit, ne fortè ex appositione incurrerent exempli illius confectores in tempora, antequam Conradus vel electus fuerit Rex, vel coronatus.

Sed quamuis, quod nec factum est, nec fieri posse arbitramur, Originale eiusmodi, quale fingitur, præfatum exemplum proferretur, illud tamen nullam omnino vim efficaciamque habere ex sequentibus ostendo.

§. III. Conradinum illud non esse sententiam.

ET inprimis id, quod passim tantopere iactat & inculcat libelli Scriptor, fortissimè negamus illud esse sententiam; quod equidem aliâ demonstratione non eget, sed ex ipsâ prætensi illius Rescripti inspectione & lectione, cuique est euidens; quippe nulla inter Archiepiscopos Maximinianosque de Iure Monasterij cognitio, decisio, Iudicatio, nulla Monasterij defensio, Iurium illius & documentorum visio vel productio, vel vnico verbo aut vestigio innuitur; nulla igitur ibi sententia.

Sed merum ac purum putum (præsupposita authenticatione) est Rescriptum, idque ad solam eamque instantem Alberonis Archiepiscopi postulationem impetratum, & ad illum solum directum. Quo Rescripto, Conradus ex erroneis Alberonis narrationibus persuasus Abbatiam illam olim ad Archiepiscopos pertinuisse, ijsque per Imperatores iniustò ereptam, ideoque credens se ad eius restitutionem teneri, illam Alberoni se reddere ac restituere declarat, prout ex ipso Rescripto apparet. Ad quod etiam eum impulsus & adactum fuisse fauore & potentia Alberonis, & ex ipsis Rescripti verbis, ac aliunde constat.

Eiusmodi verò Rescriptum nullum esse ac nullius efficaciam, non modò quoad tertium siue Maximinianos, quorum Ius semper reseruatum exceptumque intelligitur, sed & quoad ipsum concedentem Imperatorem & Imperium ex plurimis rationibus, ijsque euidentissimis conuincitur.

§. IV. Insignis sub & obreptio istius Rescripti deducitur.

ENormis fanè præfati Rescripti sub & obreptio, & quidem in punctis substantialibus clarè deprehenditur.

Quia narrauit primum Albero Monasterium S. Maximini olim pertinuisse ad Archiepiscopatum Treuirensis.

Deinde verò iniuste ab eodem per Imperatores fuisse ablatum.

Quod vtrumque falsissimum fuit, cum ex supra à nobis allegatis & probatis constet, nunquam Abbatiam pertinuisse ad Archiepiscopatum, consequenter nunquam potuisse illi per Imperatores iniuste eripi.

Item allegavit & retulit Albero, quod Archiepiscopi non cessauerint longis retro temporibus proclamationem de eadem Abbatia facere.

Sed cauit narrare, quod istis retro temporibus Archiepiscopi proclamatores, fuerint per sententiam Imperatorum in Iudicio contradictorio latam, ab illa sua proclamatione repulsi & exclusi.

Vide lector amice sententiam Ottonis Magni sub Nu. 8. eam obsecro considera & perpende, videbis in illa penitus eadem contineri, & quæ tum adiudicata fuerunt, iterum modò ab Alberone fuisse recantata.

Respice hæc verba Ottonis M. *Scd Venerabilis Treuericæ Sedis Archiepiscopus Rothbertus aliquorum, quos rei veritas latebat, adhortatus instinctu, nostram (super loco vel Abbatia Sancti Confessoris Christi Maximini) adiit Regalitem, hanc iniuste sibi vel Ecclesie suæ ablatam fuisse conquestus &c.*

Eadem illa sunt, quæ in Conradinis ab Alberone in ipsis iisdem terminis repetita cernuntur. Nam Spirense quidem lit. V. notatum ita habet, *Querelam dilecti nostri Alberonis, quam in presentia nostrâ & in conspectu Principum sepe & multum deposuit, inclinati eius precibus, ex consilio recepimus, scilicet de Abbatia S. Maximini quæ olim à B. Hildulpho de bonis Ecclesie Treuirensis fundata, Regi à potestate, ut erat querimonia Archiepiscopi, à prædicta Ecclesia est subtracta. timens itaque &c.*

Et in altero prætenso eiusdem Conradi Rescripto, litera C. signato hæc habentur: *Quod à longis retro temporibus Treuericæ Sedis Archiepiscopi non cessauerunt Prædecessoribus nostris Regibus & Imperatoribus proclamationem facere de Abbatia S. Maximini, quæ in fundo B. Petri constructa, & ad Episcopum iure proprietatis pertinens, iniuste inde ablata est.*

Et infra, Nobis autem per Dei misericordem providentiam ad Regni Gubernationem sublimatis, fidemque ipsius Archiepiscopi (Alberonis scilicet, de illo enim loquitur) studium & labores circa nostram & Regi fidelitatem multis argumentis persentientibus, idem Archiepiscopus rediuviam proclamationem magnis & assiduis allegationibus in oculis Principum presentavit.

Nunquid hîc eadem recantatio est illorum quæ Rothbertus clamauerat? Certè ab illis ipsis idem per sententiam exclusus olim fuit.

Nam repete, & vide sententiæ Ottonis Magni dispositionem: *Nos tamen, inquit Imperator, lectis in presentia nostra eiusdemque Archiepiscopi Rothberti & aliorum fidelium nostrorum super eodem loco præcedentium Regum privilegij & decretis cum ab antiquissimis temporibus ad opus Monachorum constructum, nulli alij Ecclesie vel sedi appendicem aut subiectum, sed semper sub Regiæ Tutitionis clypeo & potestate permansisse certissimâ ratione reperimus?*

Denique vide Iuris Maximiniani adiudicationem: *Idcirco interuentu & rogatu Germani nostri Archiepiscopi Brunonis, & Conradi Ducis, ne vel eadem privilegia talibus prædicti Archiepiscopi Rothberti proclamationibus aut querelis infirmarentur, vel Abbas aut Monachi ibidemque Deo seruientes tali vltterius infestatione comprimerentur, idem Cœnobium cum Abbatia sub nostrâ perpetualiter & omnium succedentium Regum defensione & potestate permansurum volumus.*

Ac præterea nota, hanc dispositionem actionis Archiepiscopalis exclusiuam: *Et prænotati Episcopi vel successorum suorum Episcoporum occasionis iniustæ, super eo-*

dem loco querelas, præcepti nostri autoritate excludimus.

Ecce iltarum querelarum, proclamationum, clamorum, expressissimam refutationem, reiectionem & per iudicatum exclusionem. Cuius ne verbo quidem mentionem fecit Albero, sed sententiam adeò solemnem reticuit.

Atque ex hisce agnoscere quiuis euidenter potest, subreptionis huius enormitatem, atque adeò impetrationis manifestam nullitatem, & quam æquum fuerit ac sit, vt talis precator carere penitus debuerit impetratis, secundum notissimos Iuris textus. *l. penult. C. Si contra Ius vel utilit public. l. 4. eodem & l. uniuersa. C. de diuersis Rescriptis.*

S. V. Eadem subreptio ex alijs rationibus ostenditur.

SVnt & aliæ plures eæque graues Considerationes, è quibus prædicta ob: & subreptio manifestatur.

Primum, quia pro fundamento proclamationis suæ, rediuuiis clamoribus allegauit Albero, Diploma præensum Dagoberti sub litt. A. Cuius inualiditatem & innumera, quibus infectum est vitia, supra Sect. 2. copiosè enumerauimus.

Secundò, Nomine Cellæ S. Hilarij in allegatis documentis nominatæ, decepit Imperatorem, ac persuasit illam esse, vel olim fuisse Abbatiam & Monasterium Sancti Maximini S. Ioanni Apostolo quondam à Sancto Agritio dedicatam. Quam splendidam imposturam & figmentum, supra Sect. citatâ detectam, reiecimus.

Tertiò, persuasit expressè & sine vllâ ambiguitatis nebulâ, contineri in præfato Dagobertino, quòd dicta Cella S. Hilarij pertineret ad Episcopium Treuirensè. Cum tamen Dagobertus illud solum post, & secundum narrationem & relationem B. Modoaldi Archiepiscopi enunciatiuè & narratiuè non dispositiuè (vti Albero persuadebat) vt in Rescriptis simpliciter confirmatorijs moris est, protulerit, neque de eo principaliter tractauerit, neque in illius pertinentia se fundauerit, vt ex ipso textu Dagobertini apparet, & supra Sect. 2. deduximus.

Quartò, quia allegauit Albero Diploma Caroli Regis Francorum, quo aliud anterius Pipini Regis Patris sui confirmatum fuisse assererat, pro alio fundamento, sed illud non reproducitur ab Archiepiscopis, neque eiusdem quidquam Scriptor in libello ausus fuit inferere.

Quanquam illa tam Caroli Magni, quàm Pipini Diplomata allegata, vel supposititia esse, vel de alio loco, quàm de Monasterio & Abbatia Sancti Maximini loqui, nimirum de Cella aliqua Hilarij, vel hinc probari potest, quia habemus Originalia eiusdem Pipini Regis & Caroli Magni Imperatoris, quæ sub Numero 3. & 4. representantur; quibus expressè & dispositiuè decernitur, vt Monasterium, vbi S. Maximinus Dei præsul est Corpore sepultus, in suburbio Treuiris constructum, in honorem S. Ioannis Euangelistæ dicatum, eiusdemque Abbas, tam præsens, quàm qui postillum futurus est, cum Monachis & Abbatia sub Regum mundiburdio in sæcula maneat, & nulli alij subiecti sint vel obnoxij, exceptis Regibus.

Quintò, quia Albero, vt apparet ex Conradino Rescripto, non modò mentionem non fecit sententiæ Ottonis M. sed neque prædictorum aliorumque omnium Diplomatum & Decretorum quæ à Regibus & Imperatoribus plurimis habemus, & partim hîc exhibemus, atque adeò de Maximinianorum Iuribus cauit vel verbum proferre.

Sexto,

Sexto, quia persuasit Imperatori quòd Abbatia Maximiniana à B. Hildulpho de bonis Ecclesiæ Treuirensis fundata esset, vt in textu alterius Conradini Rescripti Spiræ dati, & in libello sub lit. V. exhibiti, legitur. Hoc autem non subfistere hæc parte Sect. 4. §. 1. alijque locis, demonstratum est, & ipsemet Scriptor libelli foundationem Monasterij S. Hildulpho tribuere non potest, cum fateatur illud tempore Dagoberti Regis, & S. Modoaldi Archiepiscopi, qui sæculo integro secundum ipsiusmet calculum (in libello num. 7. & n. 12.) Hildulphum præcesserunt, iam fuisse constructum & fundatum.

Ex quibus omnibus abundè probata est sub: & obreptio præfenti istius Diplomatis Conradini.

Cui accedit insuper importunitas & potentia precatoris Alberonis, qui instanti sollicitatione & persuasione, Diploma tandem extorsit potiùs, quàm obtinuit; considera quæso clausulas sequentes.

In Diplomate Argentinæ dato sub lit. C. *Idem Archiepiscopus rediuuam proclamationem magnis & assiduis allegationibus in oculis Principum presentauit.*

In Spirensi sub lit. V. *Querelam dilecti nostri Alberonis quam sæpè & multum deposuit de Abbatia &c.*

Item, *que olim Regiâ potestate (vt erat querimonia Archiepiscopi) à prædicta Ecclesia est subtracta.*

Item hæc. *Timens itaque extremi examen Iudicij, ne propter hoc apparerem reus in conspectu Domini &c.*

Itaque considerata Alberonis naturali vehementia, ingenio & potentia, quam §. 1. descripsimus, meritò hîc locum habeat ista sanctio, l. 1. C. de petis. bonorum sublata. *Sed quoniam plerumque, ita in nonnullis causis inuerecundâ petentium inhiatione constringimur, vt etiam non concedenda tribuamus, nec rescripto quidem nostro aduersus formam lata legis loci aliquid relinquatur.*

§. VI. Ob Ius Tertij violatum, Rescriptum illud fuisset inualidum.

POtissima Rescripti alicuius nullitas in hoc consistit, si per illud lædatur Ius tertij, quod hîc vtique grauissimè læderetur.

Ius enim habet Maximiniana Abbatia arduum sanè illud & illustre, modisque omnibus inuiolabile, vt sit Imperij status, vt nullius subsit quàm Imperij Imperatorisque potestati, vt nulli sit appendix vel famula, vt Ius & Iurisdictionem habeat immediatè sub Imperio, vt ab imperio immediatè feuda sua Regalia, temporalia teneat; eaque omnia ex contractibus foundationis, in feudationis, donationis, stipulationis, ex re iudicatâ ex ipsa Imperialis status naturâ, constitutione ac conditione, ad eandem Abbatiam religiosumque Conuentum inuiolabiliter spectantia.

Tanta autem eorum, ac tanti momenti iura per vnicum aliquod Rescriptum, in quo ne verbo quidem de illis sit mentio, eueriti, ab ijs auferri, in alterum transferri quis credat? Quis Imperatorem id, aut conatum, aut secundum Ius naturale vel posituum, diuinum aut humanum potuisse, nobis persuadeat?

Certè leges passim id fieri vetant, l. 7. C. de precibus imperatori offerendis. totor. C. si contra Ius vel utilit. public. l. vniuersa 7. C. de diuersis rescriptis. & idem fieri non posse, non semel altè clamat & inculcat libelli Scriptor.

§. VII. Per ipsius partis confessionem atque etiam per rei iudicatæ vim ac auctoritatem idem prætensum rescriptum rejicitur.

SI libelli auctor anonymus audeat Conradinum illud prætensum rescriptum sententiam passim nominare, quid de Dagobertino nostro diplomate, initio proposito confiteri cogetur?

Examinetur quæso illud, & cum illo Conradino conferatur, atque inuestigetur, an vel vna clausula inueniri possit, in qua nostrum isti cunctis qualitatibus circumstantijsque non sit præferendum.

Quid autem ad Ottonis sententiam? Dic vel vnicam circumstantiam in sententiâ requisitam, quæ illi non adsit.

Iudex summus, ipsa Imperatoris persona, in quo Iurisdictio Iustitiæque ut lumen in suo sole residet, vnda in suo fonte; Partes vtrimque præsentis; & in ipsius condemnati præsentia, causæ examinatio, ab actione, siue petitione exclusio, Iuris alteri Parti per firmissimum Decretum siue præceptum adiudicatio.

Sententia ergo est, & frustra recalcitres.

Iam vide, quid iuris hac in re tu ipse libelli auctor statuas. memento legis, quam dictas in ipso libello tuo §. Non sententia Cæsaris num. 56. *Sententia* (inquis) *Cæsarei Senatus Aulici* vel ex hoc solo fundamento, ipso iure nulla est, quia actis prioribus nec habitis, nec visis, multò minus lectis vel ponderatis contra sententiam Camera Imperialis prolata sit. Et ad hoc allegas *Textum in l. post sententiam 9. C. de sent. & interlocut. omnium Iudic.* Cui addere poteras L. 1. C. quando provocare non est necesse.

Iura à te condita solum proponimus, quibus ut ipse vtaris sanciant leges, facta non probamus, neque sequimur.

Sententia enim illa Cæsarea quam redarguis, omnibus exactè perpensis, post longam disceptationem, instructionem, examinationem, Archiepiscopo actore quæcunque voluit exhibente ac producente, maturo iudicio definita ac pronunciata fuit, de quo infra suo loco tractabitur.

Sed ut ab hac digressionem redeamus ad eius iuris, quod statuis contra te ipsum, applicationem; memento eius quod in eodem §. subiungis num. 58. *Maximè cum nec Cæsar ipse (ais) hoc de plenitudine potestatis facere, partique ius per sententiam quæsitam, auferre queat.*

§. VIII. Euentus etiam ostendit Rescriptum illud nullius fuisse valoris.

Manifestum est, & ex ipso illo scripto probatur, quòd Archiepiscopus ante Conradi Regis æuum nihil omninò Iuris in Monasterium nostrum possidebat; nam illud sibi ablatum Albero querebatur, reddique postulabat, illius igitur possessione carebat.

Monasterium ergo præfatum ante Conradi tempora erat sui status suorumque iurium, & in possessione immediationis sub Imperatore & Imperio. Quæ sanè in immediatione consistentia non parum addit omnium nostrorum documentorum efficaciz & auctoritati. Sed & postea in eodem statu perstitit.

Quam-

Quamuis enim Albero, Henrico Comite Luxemburgensi & Namurcensi, armis ac potentia summa ad concordiam incundam quoad se, vt Aduocatiā suam, quam erga Maximinianos habebat, feudaque illa, quæ ab Archiepiscopis tenebat in ditione Treuirensi conseruaret, compulso, violentè Monasterium eiusque bona inuaserit, Abbas tamen & Religiosi iure suo non cesserunt, sed alij alio dilapsi, expectarunt, dum tempestas illa sedaretur.

Sigerus verò Abbas electus Romam ad Innocentium II. profectus, eius manibus consecratus ab eodem Bullam in Consistorio, Cardinalium omnium consensu & auctoritate firmatam, obtinuit, qua non obstantibus gestis Conradi & Alberonis, decretum fuit, vt idem locus seu Monasterium *nulli vnquam Sedi vel Ecclesie subdatur*, sed sub S. Rom. Ecclesie iure & patrocinio & Imperatorum Mundiburdio seu Tutitione consistens, ea libertate & immunitate fruatur, quam idem Monasterium à Romanis Pontificibus & Imperatoribus noscitur habuisse. Ita loquitur & decernit Pontifex, vt videre potes sub N. 33.

Sed & ipse rerum status, existentia, successus & experimentum illud idem probat, nam de facto possedisse Archiepiscopos Iurisdictionis exercitium in Monasterium nunquam reperias, adeo, vt cum nihil haberent, quod in illud exequerentur, contenti fuerint impetrare à Maximiliano I. vt Imperatoris Imperijque nomine, de Iurisdictionibus, Regalibus, feudisque Abbates infeudarent.

Ex quo manifestissimè conuincitur, nullam in illos per se suoue nomine Iurisdictionalem potestatem possedisse, vt infra latius demonstrabitur.

Sed & tunc, cum illam infeudandi facultatem impetrarunt, nihil in Maximinianos possedisse passim in processu Spirensis satis indicarunt, quemadmodum & alibi dicitur.

Ac denique illam ipsam immediatam ab Imperio dependentiam passim confessi sunt, pro Imperij membro habuerunt, ac tale esse testati sunt.

Maximiniani item pro talibus se gesserunt, & à quibuscunque habiti sunt, ab Imperatoribus sequentibus suæ immediationis confirmationes obtinuerunt, actus conformes immediationi conuenientes in omnibus exercuerunt exclusis Archiepiscopis.

Adeo vt tandem per sententiam Imperatoriam anno MDCXXXVI. latam, ipsdem suæ immediationis possessio adiudicata sit, Archiepiscopi præensione contrariā exclusā, vt etiam antea dictis, ac etiam ex vltèrius dicendis dilucidè apparebit.

SECTIO SEXTA.

Friderici Barbarossæ Rescriptum inualidum esse.

Alberone defuncto Hillinum Archiepiscopum eius successorem obtinuisse confirmationem supradicti Rescripti Conradini à Friderico Barbarossâ Imperatore, asserit auctor libelli num. 21. eas confirmatorias litteras exhibet sub lit. D. Verùm hanc Confirmationem non posse obesse S. Maximini Iuribus vno verbo facillè demonstrari potest.

S. I. Ratio ob quam inualidum.

Vnica hæc sufficit, quia est nuda confirmatio restitutionis factæ à Conrado, vt fatetur libelli Auctor num. 21. cit. & ex ipsius Rescripti inspectione ma-

nifeltum euadit. At verò per confirmationem nihil noui iuris acquiri impetranti eamque semper concedi cum conditione (si tale Ius impetrans iam ante habuerit) & semper cum clausula subintellecta absque præiudicio tertij vel saluo Iure Tertij, iam supra diximus hac parte Sect. 2. §. 7. nec opus est repetere.

Iraque cum proximè demonstratum sit, Conradi prætersam restitutionem & Rescriptum, non modo non esse sententiam, sed nec Rescripti validi vim obtinere, ob innumera subreptionis vitia aliosque defectus, atque adeo prorsus esse inualidum ad finem prætersum obtinendum; consequens est & æquè certum, eiusdem confirmationem, quæ tantum illo innixa est, & ex eius validitate & veritate supposita processit, etiam omnino esse inualidam: euerso enim fundamento, ruit id, quod ei super ædificatum est, & omnia quæ supra allata & dicta sunt de Conrado, hinc fere applicari possunt. Cui fundamentali & solidissimæ rationi addo, quòd, si quis in confirmatorijs Friderici Barbarossæ rescriptis vim ponere vellet, etiam inter nostra Diplomata exhibeamus eiusdem Imperatoris confirmatorium, quod reperies sub Numero trigésimo quarto, & quidem eo tempore concessum, cum iam ille Alexandro Pont. Maxim. reconciliatus esset.

Atque, vt æquus lector in ijs, quæ sub Conrado & Friderico Barbarossa circa S. Maximinum gesta sunt, maiore cum luce procedat, proderit summatim annorum & rerum seriem hinc paucis referre.

S. II. Series Chronologica gestorum sub Conrado & Friderico Barbarossa.

NON modo lucem dabit ijs, quæ diximus & dicemus hæc Chronologia, sed scrupulo quoque cuidam remedium faciet, qui oritur ex eo quòd inter testes qui Fridericiani Rescripti concessioni adfuerunt, referatur etiam Sigenerus Abbas S. Maximino. quis enim & cuiusmodi Abbas fuerit ille Sigenerus apparebit.

Anno MCXXXVIII. obiit Lotharius Pijssimus Imperator, teste Baronio ad eundem annum. Hunc Imperatorem Albero Archiepiscopus obsequijs conatus fuerat sibi obstringere, & ab eo Monasterium S. Maximini obtinere, sed frustra apud optimum Principem laborauit. Eodem anno mortuus est Gerardus Abbas S. Maximini, cum, vt declinaret Alberonem Archiepiscopum sibi infestiorum, ageret exul & habitaret cum Bernhelmo Abbate Spanheimensi in Monasterio Montis Sancti Disibodi, iuxta Rhenum, vbi etiam interfuit Eleuationi & translationi Sancti Disibodi. Ita M. S. C. Maximiniana Item Dodechinus in Chronic. hoc anno, Tritemius in Chronic. Spanheimensi anno MCXLIII. sed vitiosè quoad calculum, & in Hirsaug anno MCXXXVIII.

Anno MCXXXIX. Albero Confluentiæ curauit eligi Conradum II. siue III. Germaniæ Regem (vt ex Baldrico supra retulimus) & vacante Monasterio per obitum Gerardi ex practicasse dicitur prætersum Conradi Imperatoris Rescriptum Argentinense.

Anno MCXL. Maximiniani adhuc sine Abbate agentes, tandem via electionis ex suo gremio faciunt Abbatem Sigerum, domo, vt creditur, Luxembensem, Diœcesi Leodiensem; qui mox profectus Romam, à Pontifice In-

nocentio II. in Abbatem confirmatur & benedicitur, & ab eodem Pontifice refert ampliffimum Refcriptum pro Immunitate & Iuribus Monasterij. Ita Annales Treuirenfes & Maximiniani in Alberone & Sigero; Baldricus Scholiarcha summæ ædis Treuirenfis in geftis Alberonis, vbi expreffè ita habet de electione & benedictione; Originales literæ Innocentij Maximinianæ sub Numero 34.

Anno MCXLI. Albero vi Monasterium occupat fugatis omnibus Monachis & Sigero Româ nuper reduce. *Ita Baldricus loco cit. Annales Maximiniani in Sigero.*

Anno MCXLIII. Albero in locum expulforum euocat Monachos Lacenfes, & loco Sigeri Abbatis, qui exulabat, alium (nomine *Sigeherum*, vt habent prætenfæ Fridericianæ *in actis Spirenfibus exhibita Anno 1557.* vel, *Sigenerum*, vt habent eadem prætenfæ Fridericianæ in Aduerfarij Scriptoris libello; vel, *Seyherum*, vt habere dicitur vetus Codex Euangeliorum summæ ædis Treuirenfis) fubftituit, fecitque eum à Celeftino Papa, qui Innocentio fuccefferat, confirmari. Dodechirius *in Chron. hoc anno.*

Anno MCXLIV. & XLV. bellum geritur Treuirenfes inter & Luxemburgenfes magnâ vtrorumque Clade & vaftatione, dum Henricus Comes Aduotus non contentus Aduocatia, vt habet prætenfum Conradinum ex vna parte, & Albero ex alia Abbatiam fibi afferere conantur. De quo prætenfæ Conradi Imp. Spirenfes & Baldricus *in geftis Alberonis.*

Anno MCXLVI. Henricus Comes Viribus Alberoni impar ab omnibus defertus, Spiræ componit pacem cum Alberone, Baldricus loco cit. & prætenfæ Conradinæ Spirenfes, fub lit. V.

Anno MCXLVII. Albero pridem pulfis Maximinianis, ex præticâffe dicitur ab Eugenio Pontifice Refcriptum in fui fauorem.

Anno MCLII. mortuo Alberone, Hillinus, (vt fertur) ab eodem Eugenio Confirmationem præcedentis Refcripti extrahit, Maximinianis adhuc exultantibus. Eodem anno moritur Conradus Imperator, cui fuccedit Fridericus Barbaroffa eius nepos, qui mox cœpit S. Sedis authoritatem contemnere, teftè Baronio, ad hunc annum.

Anno MCLIII. Sigerus Abbas S. Maximini hætenus in Exilio, mortuo Alberone, Treuiros nondum audet redire, fed in prædijs Monasterij Coloniae & Moguntiae vicinis agit, & de rebus Monasterij extra Diœcefim Treuirenfem fitis, tanquam verus S. Maximini Administrator & Abbas difponit; probatur ex litteris Sigeri Abbatis, datis hoc anno in curia Maximiniana Ribenach, in quibus difponit de decima Salica de Barweiler Diœcefis Colonienfis; & ex alijs Conradi Archiepifcopi Moguntini; vtrafque etiamnum continet Archiuum noftrum.

Anno MCLVII. Fridericus Barbaroffa Imp. Treuiris exiftens, abfente Sigero Abbate & Monachis Sancti Maximini Hillino Archiepifcopo acta Conradi II. confirmat, inter teftes nominatur, non Sigerus Abbas Sancti Maximini qui etiamnum exulabat, fed Seyerus, feu vt Fridericianis ipfifmet legitur, Sigeherus aut Sigenerus, prætenfus titularis Abbas Sancti Maximini, non ab Innocentio fecundo, fed à Celeftino Confirmatus ad Alberonis votum.

Anno MCLXIV. adhuc vixit Sigerus Abbas S. Maximini, vt habent M. S. C. Maximiniana in Sigero.

Anno MCLXIX. mortuo Hillino Archiepifcopo Abbas & Religiofi

Sancti Maximini sensim domum reuersi, diuino seruitio pacificè vacant.

Anno MCLXXVII. Fridericus Imp. pacem cum S. Sede Apostolica componit, & Venetijs ipsa SS. Petri & Pauli Apostolorum solemnitate, Alexandro Pontifici se submittit, & deinceps eidem reconciliatus manet.

Anno MCLXXXII. Fridericus Imp. auditis tandem Religiosis eorumque Abbate Conrado, & cognitis eorum Iuribus, Rescriptum dat, quo omnia eorum bona & Iura confirmat, quòd exhibemus sub N. 34.

Ex quibus innotescit inter alia, quis fuerit ille Sigenerus Abbas de S. Maximino inter testes in Fridericiano prætensio Rescripto relatus. Nempe ille, quem Albero Archiepiscopus substituerat & sibi subditum volebat atque à Celestino confirmandum curauerat anno MCXLIII. Cùm verus Abbas & legitimè electus à Conuentu Maximiniano, atque ab Innocentio II. confirmatus eiusque manibus consecratus fuerit anno MCXL. qui nunquam etiam aliter, quam Sigerus reperitur nominatus, neque Alberoni vnquam subiectus fuit, vti clarè testantur eius litteræ datæ anno MCLIII. ex Curia Ribenach quarum tale est initium, *In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Ego Sigerus Dei gratiâ Abbas S. Maximini &c.* quæ sanè inscriptio non conueniebat subdito Archiepiscopi, sed insigni Rom. Imperij Statui & Membro. Plura autem de illa Sigeneri inter testes nominatione tractabimus in refutatione vti, quæ illic videre poteris.

SECTIO SEPTIMA.

Epistolas S. Bernardi, itemque Innocentij II. Eugenij III. aliorumque Pontificum confirmationes non obesse Maximinianas.

EXcursionibus, Rapinas ac deuastationibus Archidiececesis Treuirensis perstringendo refert auctor libelli, ab Archiepiscopo Alberone excommunicatum Comitem Luxemburgensem & Abbatem Maximinianum, Romæ deinde ope S. Bernardi Abbatis, vt eius epistolæ nimirum 179. & 180. quas profert testantur Rescriptum Conradi ab Innocentio Papa II. postmodum ab Eugenio III. alijsque Pontificibus etiam à moderno Pontifice Max. Vibano VIII. & Augusto Cæsare Ferdinando II. gloriosissimæ mem. confirmatum. Atque hæc à Nu. 22. vsque ad 26. continentur, Epistolæ verò & Bullæ Pontificiæ sub litteris E. F. G.

In primis frustra vastationes illas in memoriâ reuocari arbitror, cùm de hisce queri etiam potuerint Luxemburgenses ab Alberonis milite grauissima passi æquè ac Treuirenses; quæ Maximinianas sanè Imputanda non sunt, sed Alberoni & Henrico Comiti, quorum vterque inuitis omnino & dolentibus Maximinianas, Abbatiam sibi acquirere conabantur, & de illa inter se certabant, vt præensum Conradinum rescriptum sub lit. V. in libello exhibitum, & ipsæ S. Bernardi Epistolæ ab aduersario Scriptore productæ liquidò testantur.

Sed neque opus reor, nec quisquam exiget à me, vt ijs, quarum meminit libelli auctor Adriani IV. Clementis III. aliorumque Pontificum Bullis & Confirmationibus, quæ non exhibentur, respondeam; tum, quòd eæ needum visæ sint, tum, quòd ijs quæ hîc exhibentur non esse validiores, certum sit, alioquin indubiè prodijissent.

Proinde ad S. Bernardi epistolas, quæ toties inculcantur & obijciuntur, atque

etiam

etiam ad Innocentij & Eugenij Pontificum Confirmationes suffecerit verbo respondere.

S. I. Quid in Epistolis suis intenderit S. Bernardus.

Possem illas Epistolas præterire tacitus, quamvis enim à sanctissimo Viro scriptæ fuerint, de iure tamen Monasterij nostri non decernunt.

Quin imò satis ex illis colligitur, S. Bernardum magis de subiectione Ecclesiasticâ, quàm temporali laborâsse.

Et cum Henricum Comitem præter Aduocatiâ, Abbatia subiectionem sibi vindicare: Alberonem autem de eadem subiectione decertare crederet, egit quantum potuit, vt inter illos concordia iniretur, & Abbatia Alberoni cederet, manente solâ apud Henricum Aduocatiâ.

Quæ quidem concordia, etsi eam conclusam fuisse præsupponamus, attamen iuribus Monasterij nulla ratione obesse potuit; cum sit res merè inter alios acta, & eos quidem, ad quos Monasterium non pertinebat, & absentibus Maximinians tractata; cum ex supradictis constet Abbatem & Religiosos S. Maximini tempore Alberonis Archiepiscopi, dispersos dissipatosque, extra Monasterium degisse.

Ad laborauit igitur S. Bernardus, vt Monasterium Ecclesiæ Treuirensi potius subesset, quàm Comiti Luxemburgensi; ratus laico Religiosos subijci non debere, & ab Alberone Viro vtique acri ac forti in quibusuis negotijs, Disciplina Religiosæ conseruationem & incrementum expectandum.

Hinc illa Viri sancti verba Ep. 180. *pium est reformare Religionem in Monasterio, quod ille (Albero) intendit.*

Quin etiam S. Sedi Abbatem & Monasterium immediatè subijci, & ab Archiepiscopi Ecclesiastica Iurisdictione exemptum, nolēbat S. Bernardus, adeoque litteras Apostolicas ab Innocentio II. pro libertate & exemptione Monasterij concessas, veluti per subreptionem quandam obtentas reuocari postulabat, & ad hoc Epistolas eius potissimum fuisse directas accuratius earum sensum consideranti apparet.

Nam Ep. 179. hæc habet. *Hic queso, hic euigilet oculus pietatis, & semotis paulisper occupationibus consideret, quantum subreptum sit ei.* Ep. 180. sequentia. *Hoc solet habere præcipuum Apostolica Sedes; vt non pigeat reuocare, quod à se fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum.* Item in fine eiusdem Epistolæ: *Adsit Dominus cordi Domini mei (Innocentij) ne iterum possit ei subripi à Monachis, non tam (vt simulant) appetentibus libertatem, quàm fugientibus disciplinam.* Quis non videt per libertatem illam disciplinæ regulari oppositam, intelligi exemptionem à Iurisdictione Archiepiscopi Ecclesiastica, quid enim temporalis pertinebat ad disciplinam?

Exemptionem igitur Ecclesiasticam S. Bernardus à S. Sede obtentam subreptitiè arbitrabatur, & quidem in magnum Archiepiscopi Alberonis præiudicium, idque ex ea, quam ab Alberone, Viro opete & sermone adeo potente, habebat informatione. Quæ persuasio in Viro sancto & religioso, multò facilius locum habere poterat, quàm apud Cæsarem & Imperij Proceres, quos tamen etiam, vt supra narratum est, Albero in quamuis partem inclinabat.

Accedebant insuper graues contra Sigerum Abbatem delationes: quòd Rebellis esset, & similia, quæ tantum poterant apud sanctissimum virum, vt si vera fuissent, quemadmodum credebantur esse, non immeritò eum Abbatem, non sanctum, compellaret, acta eius improbare.

Porro Exemptionis, ab Episcoporum ordinariorum Iurisdictione, acerrimum aduersarium fuisse S. Bernardum passim in eius operibus occurrit, & certissime comprobatur: vt enim omittam quæ de Cluniacensibus aliisque queritur, sufficere nobis vnica eius Epistola, quæ est ad Henricum Senonensem Archiepiscopum 42. vbi de suis hæc habet: *Miror quosdam in nostro ordine Monasteriorum Abbates, hanc humilitatis Regulam odiosa contentione infringere, & sub humili (quod peius est) habitu & tonsura, tam superbe sapere, vt cum ne vnum quidem verbulum de suis imperijs subditos prætergredi patiantur, ipsi proprijs obedire contemnant Episcopis. Quid hoc est presumptionis, ô Monachi! neque enim quia Prælati Monachis, idè non monachi. Postea in eadem epistolâ subiungit: Plus timeo dentes Lupi, quàm virgam Pastoris. Certus sum enim, ego monachus & monachorum qualiscunque Abbas, si quandoque Pontificis mei à proprijs ceruicibus excutere iugum tentauero, quòd Satanae mox Tyrannidi meipsum subijcio.*

Hæc S. Bernardus de sui Ordinis Abbatibus; haud dubium quin omnibus idem suaderet, & hinc illud exemptionis apud S. Sedem impediendæ studium.

Quamquam, quoad hanc Abbatis Maximiniani libertatem litteræ eius Commendatitiæ pro Alberone ad Innocentium II. missæ effectu non magno fuerunt, neque enim aliud impetrauit Alberone nisi confirmatorium Innocentii Diploma, vt mox dicetur, quod etiam hanc expressam clausulam continet, saluâ nimirum per omnia Iustitiâ S. R. Ecclesiæ, si quam habet.

Quod si de veritate rei S. Bernardus sufficienter informatus & instructus fuisset, & ab ipsa sui fundatione Monasterium S. Maximini ad Sedem Apostolicam pertinuisse, vt reuera pertinuit, sciuisset; nequaquam illius exemptioni obstitisset. Perinde atque de omnibus generatim Monasteriis enuntiat in libris de Consideratione ad Eugenium III. Papam, vbi hæc inuenies, *lib. 3. cap. 4. Nonnulla Monasteria sita in diuersis Episcopatibus, quod specialiter pertinuerint ab ipsa sui fundatione ad Sedem Apostolicam, quis nesciat? Sed aliud est quod largitur deuotio, aliud quod molitur ambitio impatiens subiectionis.*

Cùm autem S. Bernardum informandi, eiq; respondendi facultas olim data non fuerit responsum, quam S. Petrus Abbas Cluniacensis, eidem sancto Viro sibi dilectissimo ac plusquàm venerabili misit per epistolam, *est epist. 28. lib. 1.* hîc adhibent hodie quoque Abbas & Religiosi S. Maximini.

Postquam enim prædictus S. Petrus Abbas, retulisset accusationes quæ contra Cluniacenses circumferebantur; ad decimam septimam, quæ talis erat: *Contra totius orbis morem, proprium habere Episcopum refugitis; nos respondemus, inquit, §. his additis, istud veritati contrarium opposita fronte existere, quoniam patet nos proprium Episcopum habere: quis enim rector, quis verior, quis dignior Romano Episcopo episcopus potest inueniri? paulò post subiungit: Hoc ipsius S. Sedis irrefragabilis sanxit auctoritas, nec vnus tantum, sed multorum decreta, inde apud nostram matricem Ecclesiam conseruantur. Hæc ipsi ita condiderunt, non vt hanc, de qua loquimur, Cluniacensem Ecclesiam alteri Episcopo prius eam possidenti auferrent, sed à fundatoribus, qui eam in proprio aodio construxerunt, rogati, in propriam retinuerunt, atque soli Rom. Pontifici eam in æternum subiaccere decernentes, pluribus hoc priuilegijs confirmârunt.*

Hæc verba sancti, ad sanctum missa, omnino Maximiniani aptissime conueniebant, & sanctissimo Viro Bernardo æquè satisfecissent olim pro Maximiniani, atque pro Cluniacensibus.

*s. II. Innocentij II. & Eugenij III. Bullas non obesse
Iuri Maximiniano.*

BVllam illam præensam, quæ sub lit. F. exhibetur, nihil contra Ius nostrum efficere manifestum est.

Primò, quia dubium est, an vnquam extiterit & à S. Sede, ita, vt circumfertur expedita fuerit; cùm eius autographum & Originale nunquam visum sit, aut exhiberi potuerit, sed nudum exemplum. Exempla autem fidem non facere, præsertim contra Originalia, iam sæpius diximus & iure notum est.

Secundò, quia habemus non modò aliorum Pontificum Originalia, hisce præensis litteris repugnantia, sed etiam bullam amplissimam in solemni Consistorio ab eodem Innocentio II. & octodecim Cardinalibus, & Episcopis concessam & subscriptam; eamque in Originali & sub Num. 33. representatam, quæ decernit, vt Monasterium S. Maximini *nulli vnquam Sedi vel Ecclesie subdatur, sed sub S. Rom. Ecclesie Iure & Patrocinio, & Imperatorum Mundiburdio seu Tutitione consistens, eâ libertate & immunitate fruatur, quam idem Monasterium à Rom. Pontificibus & Imperatoribus noscitur habuisse.*

Tertiò, illa præensa Innocentij Bulla & à scriptore libelli exhibita, est merè confirmatoria, vt ex eius inspectione est manifestum; Nam illud iuris quod Conradus Rom. Rex Treuirensi Ecclesie restituit, eidem confirmari dicitur. Ex supradictis autem notum est, confirmationem nihil noui iuris Impetranti tribuere, præter id, quod antea habebat; tertio non nocere &c. Cùm igitur Conradus Rex nihil Ecclesie S. Petri restituerit, eiusque acta omnino nulla fuerint, neque iure subsistant, per confirmationem Innocentij II. valorem acquirere non potuerunt. Nostra autem confirmatoria Diplomata, cùm solidis nitantur fundamentis, pondus ac robur habere, negari non potest.

Quartò, quia praxis & vsus omnium sequentium annorum & sæculorum ostendit Innocentij illam præensam Bullam, æquè ac Conradi Rescriptum, inutilem fuisse. Omnes enim Abbates Sigeri successores recens electi, confirmationem à S. Sede Apostolicâ acceperunt, idque cum Bullis in eam rem expeditis; in quibus vna est directâ ad Vasallos Monasterij, qua iubentur Prælato suo parere; altera ad Imperatorem, qua ipsi Prælatus defendendus ac protegendus in iuribus suis committitur. In omnibus verò Bullis Monasterium dicitur S. Sedi Apostolicæ immediatè subiectum, & in illa immediatâ subiectione Confirmationem suam Pontifices fundant. Eiusmodi Bullarum exemplaria habes sub Num. 59. Originalia earum propè innumera Archiuum nostrum continet, è quibus clarè infertur, Monasterium semper immediatè S. Sedi in spiritualibus, in temporalibus vero Imperio subiectum, & à Romanis Pontificibus semper vsque in hodiernum diem pro tali habitum fuisse.

Similiter Eugenij III. Bullas nihil Iuris tribuere ex dictis infertur. Nam ex earum inspectione manifestum est, Confirmationes dumtaxat esse eius Iuris, quod Albero & Hillinus à Conrado II. narrabant sibi esse restitutum & quidem sine solido fundamento, vt iam demonstratum: Itaque cùm Conradus nihil iuris dederit, vel reddiderit Alberoni, neque Eugenius Papa eidem vel Hillino amplius potuit per confirmationem tribuere.

Ad hæc posteriores Pontifices æquè ac Imperatores Eugenianas illas Bullas inefficaces esse facto demonstrarunt, cum tot suis Diplomatis decreuerunt vel

decla-

declarârunt Abbatiam S. Maximini Cæsari soli & S. Sedi Apostolicæ immediate subiectam, eamque pro tali semper habuerunt.

SECTIO OCTAVA.

An Abbas, & subditi Maximiniani Archiepiscopi Iuramentum subiectionis præstiterint.

Imperatores, dicit auctor libelli, vigore capitulationis Cæsareæ iuramento solemnè confirmatæ, teneri ad manutentionem Regalium Archiepiscopis confirmatorum; Abbates verò omnes S. Maximini, vnâ cum subditis subiectionem Archiepiscopis tanquam Dominis territorij & ordinarijs suis præstitis iuramenti contestatos; quæ iuramenta dicit exhiberi sub lit. H. n. 1. & 2. *Vnde minatur, quod neque modernus Archiepiscopus (cuius verba sunt) nec eius Successores, sano consilio vsi, vi iuramentorum vnquam contra dictas sententias, & res iudicatas iuraque Ecclesie siue in quocunque tandem iudicio decerni passuri, aut præterse decretum admissuri sint; imo quod modernus Archiepiscopus sententijs in aula Cæsareâ à Monachis per falsa narrata (vt dicit) expressè iuratis, sese iure opposuit & contradixit, ac in posterum, si opus fuerit in hoc, alijsque quibusuis iudicijs opponet ac contradicet, nec magis Ecclesiasticam quam sæcularem exemptionem illis concedet.* Hæc animosus ille Scriptor à n. 26. vsque ad 31.

Primum, quod de Cæsareæ capitulationis iuramento est, responsione dignum non puto, notorium enim est Cæsarem teneri ius dicere, S. Roman. Imperium eiusque Status ac Membra conseruare, Iura, feuda & Regalia eorundem Statuum ac Imperij membrorum tueri. Ad quid ergo imprudens scriptor, Capitulationis Cæsareæ iuramentum in scenam producis? Nunquid omnes sciunt illius vim non ad suprema tantum, sed ad infima quoque Imperij membra ac status extendi?

Secundum verò, quod de iuramentis Abbatis & subditorum subiungis, examine eget.

S. I. Quale Iuramentum Abbates Sancti Maximini præstare soleant.

ABBAS S. Maximini Imperatoris ac S. Rom. Imperij Vasallus, cum ab illo feuda Regaliaq; recipiat, etiam eidem fidelitatem iurat, idque semper & ab omni memoria ita factum est.

Neque verò per Commissionem inuestiendi, Archiepiscopis ab Imperatore Maximiliano Primo datam, ratio antiqua vel inuestituræ, vel feudorum, vel iuramenti quoad hoc punctum mutata fuit; cum semper æquè illa ab Imperio & Imperatore accepta, hoc verò eidem Imperatori & Imperio ab Abbate præstitum fuerit.

Neque enim huic inuestiendi negotio Archiepiscopus interuenit aliter, quàm vt Commissarius & Procurator Cæsaris, cuius nomine vice ac Mandato inuestit ac Iuramentum admittit.

Probatur id ex ipsa Iuramenti formula, quam mox subiungam. Et ex alia tum sub Num. 52. tum in instrumento inuestituræ ipsiusmet Ioannis Iffenburgici

Archiepiscopi Abbatis Commendatarij inserta sub Num. 57. Ex qua Abbatem iurare fidelitatem Imperatori & Imperio, non autem Archiepiscopo clarius est, quam vt explicatione indigeat.

S. II. Quale sit illud Iuramentum quod Auctor libelli exhibet.

Nihilominus exhibetur in libello sub lit. H. n. i. Iuramentum, quod Abbas S. Maximini dicitur præstare, sed illud omnino corruptum, falsificatum & à supradicta præscripta formula multum alteratum; quod vt melius percipiat Lector, visum est hic subijcere vtrumque.

Formula Iuramenti, quod Abbates S. Maximini in Regalium & feudorum Inuestitura post Maximilianum I. Diploma præstant.

Ego N. Abbas S. Maximini promitto ac Iuro Reuerendissimo, Illustrissimo Principi, gratiosissimo meo Domino Treuirensi, nomine & ex parte, & ex mandato Serenissimi, Potentissimi Principis ac Domini D. N. Romanorum Imperatoris Clementissimi mei Domini, quod Cæsaræ illius Maiestati, illiusque Clementiæ Successoribus Romanorum Regibus & Imperatoribus ac sacro Imperio velim esse fidelis & addictus, præmonere eorum damna, consilia celare, meliora procurare, neque vnquam Consilio aut facto interesse, quod eorum Maiestati in suis personis, honoribus & dignitatibus nocere possit, omniaque ea facere, quæ mei antecessores sacro Imperio debuerunt, & obligati fuerunt. Sic me Deus adiuuet & Sancti.

Formula exhibitæ ab Auctore libelli sub lit. H. n. i.

Ego N. Abbas Monasterij S. Maximini extra & prope mœnia Ciuitatis Treuirensis, Notum facio vniuersis, quod Reuerendissimo in Christo Patri ac Domino, Dño N. Archiepiscopo Treuirensi, ac Principi Electori, infra scriptum fidelitatis, subiectionis & obedientiæ præstiti Iuramentum, sub hac, quæ sequitur forma: Ego N. Abbas Monasterij S. Maximini extra & prope mœnia Ciuitatis Treuirensis promitto, spondeo, & Iuro, me, ex nunc in antea, fore fidelem & obedientem Sacro Rom. Imperio & Reuerendissimo in Christo Patri Illustrissimoque Principi ac Domino, Dño N. Archiepiscopo Treuirensi, Sacri Rom. Imperij, per Galliam & Regnum Arelatense, Archicancellario & Principi Electori, Dño meo gratiosissimo, Imperiali & Regia autoritate & nomine, iuxta tenorem litterarum, suisque Successoribus, canonicè intrantibus, Iura sua & suæ Diocesis, quoad potero defendam, neque quod in me est, lædi patiar, non dabo consilium vel consilio interero, cuius occasione dictus Dñs Archiepiscopus, vel sui Successores, periculum corporis, honoris, læsionem membrorum suæ ditionis, vel subditorum patiat, sed si id ab alijs tentatum resciuero, pandam illi suisque Successoribus fideliter; Regalia, temporalitates, feuda, & quæcunque Monasterij mei Iura fideliter conseruabo & manutenebo deperdita pro posse recuperabo: sic me Deus adiuuet: Ita Iuro ad hæc sancta Dei Euangelia. In cuius rei testimonium, Sigillum meum præsentibus est appressum: Data N. die &c. mensis &c. Anno Domini &c.

Vti hætenus omnibus retro temporibus ab Imperatore, Sacroque Imperio feuda, Regaliaque receperunt tenueruntque Abbates S. Maximini, ita & posteaquam ab Archiepiscopo, tanquam Commissario & Imperatores Procura-

tore inuestiti fuerunt, prius illud Iuramentum sub prima illa forma, continuatis actibus præstiterunt, vt Num. 57. & alijs anterioribus inuestituris, probatur NN. notatis.

Vnde ergo prorepiit illa libello inserta Iuramenti formula, quis eius auctor, quis fabricator fuit? quis credat quemquam tam temerarium reperiri, qui inspectante Imperio Romano audeat Iuramenta Vasallorum Imperij corrumpere, inuertere, in suum commodum transmutare? loco Imperatoris seipsum, loco Imperij ditionem suam substituere? Et hoc quidem iam libro edito palam ostentare?

Quod si quempiam Abbatum (quorum simplicitas nota est) dicas, nescio quibus artibus plectum tale aliquod Iuramentum admisisse, is non tam suam Ignorantiam, quam eorum crimen, à quibus vi, vel fraude in talem aberrationem fuit inductus, orbi comprobauit.

S. III. Quale item Iuramentum soleant subditi Maximiniani Archiepiscopo præstare.

Pincipio, pro huius quæstionis clariore intelligentiâ, sciendum est antiquam omnino fœderationem esse inter subditos Treuirenses, Maximinianos & Prumienses, ad hunc finem communi eorum consensu & deliberatâ voluntate initam & institutam, vt finitimi illi populi mutuo se aduersus grassatores aut militares irruptiones, adunatis viribus & armis validius tutari possint.

Fœdus illud Hersauia nuncupatur, quasi *Herrschaw* id est, exercitus delectus vel lustratio: & non modo inter prædictos populos, sed alios quoque reperitur. Ita enim fœderati sunt Grimbergenfes, Schwartzenburgenses & Dagtulienses, è quibus hi postremi immediatè Rom. Imperio subsunt, reliqui Electori Treuirensi.

A fœdere illo Hersauico, quod est inter Maximinianos, Treuirenses & Prumienses, etiam districtus, in quo degunt prædicti populi, dictus est Hersauia inferior: Et quia expediebat fœderis illius esse aliquod caput, illa præ eminentia communi consensu delata est tanquam dignissimo, Archiepiscopo & Electori Treuirensi: Huic ergo tanquam fœderis istius defensionalis Duci & capiti dumtaxat, non autem tanquam Principi aut Domino Territorij, ab omni memoria ab Hersauia populis præstitum est Iuramentum, ad finem fœderis tantum: non autem ad vllam subiectionem Iurisdictionalem directum. Hæc patent ex instrumento sub Num. 81.

Neque Archiepiscopi Treuirenses illud aliter vnquam admiserunt, nec subditi alia mente præstiterunt. Sed nec Iurisdictionem in Hersauia populos eo nomine potuerunt sibi attribuere aut acquirere, cum actus illi merè voluntarij, ex societate & fœderatione vicinorum consensu inchoata, procedentes; Iurisdictionis aut Dominij Territorialis Ius non inferant.

Illud quidem comperio, Anno MCLXVI. quendam Archiepiscopi Treuirensis Officiatum, in communi Hersauia conuentu, mandatum præsumum de non vendendo vel emendo, in Ciuitate Treuirensi publicasse; cui Maximiniani subditi, velut à fine & legibus Hersauia fœderis exorbitanti, nunquam voluerunt parere; sed & parere sub pœna corporali vetiti sunt à Petro Abbate Sancti Maximini.

Atque ita vsque in hodiernum diem Monasterii Sancti Maximini subditi, se intra limires fœderis Hersauici semper continuerunt, nec aliter Archiepiscopo Treuirensi iurârunt aut obtemperârunt.

Vnde,

Vnde, cum anno MDCXXIII. D. Archiepiscopo moderno, Philippo Christophoro, regimen Archidiecepsis auspicante, de more à populis Hersfauix iuramentum exigeretur, tametsi ob litem de statu Monasterij, quæ in aula Cæsarea pendebat, nihil posset præiudicii creati, quomodocunque subditi iurarent, prospicere tamen volumus ac omnem occasionem ac prætextum præscindere. Itaque subditos nostros ad Iuramentum illud præstandum conuenire vetuimus, quod quidem ita factum, uti & alia quæ hinc commemoro, securè possum asserere, quia omnibus interfui, & mandata subditis denunciaui.

Eâ re intellectâ, misit D. Archiepiscopus Cancellarium suum ad D. Abbatē, adductisque variis considerationibus petiit, ut saltem iuberet vel permitteret subditos suos cum cæteris Hersfauix populis, more antiquo comparere, ne fortè ob eorum absentiam alii turbarentur, & eorum exemplo se ab eodem officio subducerent.

Re, tum apud Nos, tum Luxemburgi ponderata, visum est ad omnem controuersiam & perturbationem euitandam, conferre mutuò, & cum D. Archiepiscopo eiusque ministris communi consensu statuere, quid æquum bonumque factu foret.

Iuncti igitur fuimus; ex Archiepiscopi quidem parte D. Decanus Metropolitanus & Cancellarius, ex nostra D. Præses Consilij Luxemburgensis, cui ego adiunctus fui.

Documentis, Iuribus, omnibusque hinc inde allegatis, visis, auditis & consideratis communi consilio & consensu resolutum fuit, subditi Maximiniani conuenirent cum cæteris fœderatis, iuramentum de more præstarent, sed non ut subditi territoriales, neque iuramentum subiectionis, sed ut Hersfauix fœderati *Heerschawen Leuth*, veteri & consueto more, iuramentum tantum Hersfauix.

Cum hac igitur resolutione à Conferentia recessum est, subditos nostros ad Conuentum Hersfauix dicta die comparere iussimus, iuramentum Hersfauix duntaxat pro antiqua consuetudine præstare, nullam verò subiectionem aut territorialem obedientiam promittere vel admittere. Cui mandato iidem etiam accuratè obsequuti sunt, & cum ad subiectionis iuramentum edendum sollicitarentur, palam dixerunt, se aliud non præstituros, nec intendere præstare iuramentum, quàm Hersfauix, recepto ab antiquis temporibus more, nec aliter quoque fecerunt.

Ita actio illa peracta est, sed alia omnia in Archiepiscopi tabulas relata sunt, uti nunc ex libello isto patet.

Id sanè nobis pridem suboluit, & cum ex non obscuris indicijs colligeremus, ita ut euenit, in tabulas relatum, D. Abbas modernus, Prior & Conuentus S. Maximini per mandatarium suum solemniter protestati sunt, prout in protestationis illius instrumento anno MDCXXVI. confecto videre est sub N. 82. in quo lector suis coloribus optimè depictam & expressam videre poterit.

Ex quibus omnibus agnosceret iam, quisquis æquitatem & fidem amat, quàm indignis modis Iuri nostro insidiatum eo tempore fuerit, & qua fide Scriptor libelli in exhibita illa Iuramenti forma, sub lit. H. numer. 2. inseruerit hæc verba: *Prator in Regiola proposuit se nomine Monasterij S. Maximini eiusque subditorum comparere & sue Eminentie paratum, subiectionem & fidelitatem pro recepta antiqua consuetudine humillimè præstare.* Cui quidem pratoris orationis ipsammet suâ Eminentiam respondisse, dicit, *se in quantum Pro, acceptare quod nomine &c.*

In quo sanè præter decorum, tantum Principem ut forensem aliquem litigatorem loquentem Scriptor inducit, tricisque nescio quibus Causidicorum

illum vrentem & simplicem rusticum in verbis tuis captantem. Et quidem pessimo hoc consilio & causæ suæ perquam noxiø agit; si enim Eminentissimus dixit, acceptari dicta illa *in quantum Pro*, nonne fatetur dicta aliqua fuisse non Pro, sed Contra ipsum, atque adeo totum quod ibi dicebatur non fuisse pro Archiepiscopo? Ita iusto Dei iudicio euenit, vt dum fraudem palliare cupit, eam quàm maximè prodat. Potens enim est veritas & veluti ignis, qui quò magis concluditur, eo maiore vi & fragore erumpit.

Sed & aliâ ratione seipsum eruentat & conficit ipse scriptor. Probare intendit à tempore Alberonis Archiepiscopi, hoc est ab Anno MCL. circiter subditos Maximinianos subiectionem & obedientiam Electori Treuirensi, tanquam Domino Territoriali iurâsse, & vt hoc prober, profert vnicum actum Iuramenti, quod Anno MDCXXIII. præstitum dicit. Nonne per hoc satis fatetur antedictum annum, quo lis in consilio aulico Cæsareo agebatur, nihil vnquam tale gestum fuisse?

Sed hæc quidem magis ad veritatis testimonium, quàm Iuris nostri defensionem ita referre volui: nam cùm eo anno, quo hæc gerebantur MDCXXIII. apud Aulicum Cæsareum Tribunal causâ & lis super Monasterij Iure ageretur, vt dixi, clarum est per eiusmodi actus nihil iuris potuisse Archiepiscopo acquiri.

SECTIO NONA.

De lite in Camera Spirensi Anno MDXLIX. inchoata.

A Tempore Alberonis transfilit libelli Auctor ad annum vsque MDCIX. ac tot intermedijs sæculis, dicit eiusdem Alberonis Successores in quietâ possessione & plenario exercitio Iurium territorialium & Electoralium permanisse, Abbates verò & subditos S. Maximini omnia subditorum munia, atque omnes & singulos Iurisdictionis Territorialis actus, quos enumerat, parare & officiosè subiuisse, donec tempore Caroli V. Cæsaris anno MDXLVIII. Cæsareus Procurator fiscalis contra Ioannem Ludouicum Archiepiscopum actionem in Camera Spirensi intentârît, in qua actorem dicit conclusiones libelli sui eò direxisse, vt Iudices Camerales decernerent Abbatem S. Maximini esse statum ac membrum Imperij immediatum, eaque propter teneri soluere Imperio contributiones, vel casu quo Elector Treuirensis in Exemptione Abbatia aliquid Iuris prætenderet aut haberet, ipsum pro eadem ad prædictas contributiones Imperio exoluendas obligatum esse. Et marginalis glossator addit, quod Cæsareus fiscalis tentârît per hanc actionem Monasterium à sæculari Iurisdictione Archiepiscopi eximere.

In textu verò libelli Scriptor dicit ab Abbatibus procuratores in hac lite siue processu constitutos, eosdè se pro subditis Archiepiscopi propria Iudiciali confessione agnouisse; octodecim annis processum ventilatum, omnes probationes ab vtraque parte productas & consideratas, idque probare per exhibitionem voti Cameralis intendit, quod est in libello sub lit. I. cui addit sententiam insectam sub K. atque hæc fere à n. 31. vsque ad 36. persequitur.

Qua in narratione cùm plurima aperte falsâ continentur, ante omnia bona fide totiusque rei gesta seriem & litis istius occasionem & progressum referam,

tum verò ad votum, vbi etiam de prætenfæ actibus possessorijs agetur, & deinde ad sententiam considerandam sequentibus sectionibus progrediar.

S. Occasio Litis in Camera Spirensi exortæ enarratur.

TUrbatâ, per Lutheri eiusque assecularum seditiones, Germaniâ, magnis periculis Monasteria aliâque sacra loca exponebantur; neque illo tantum modo Monasterium S. Maximini, sed priuatâ quoque calamitate affligebatur, pestilentia nimirum, quæ in sacra familia desæuierat, & præstantissimos quoque & rerum peritos religiosos sustulerat. Abbas Ioannes Cellensis, vir simplex & rectus, adhæc senio confectus, vnus supererat, qui summæ rei posset intendere, Cæteri religiosi, Nouitij, Iuuenesque & profus negotiorum erant & status Monasterij ignari.

Hac occasione Ioannes Ludouicus Archiepiscopus Treuirensis, feliciter ad intentum suum vsus, quod æquè ac Richardus eius prædecessor Abbatiam illam Archidiecepsi asserere moliretur, seniculum Abbatem blandissimis alloquijs & persuasionibus facillè inducit, vt in communibus illis maximisque hæreticorum periculis, de potente aliquo Coadiutore assumendo circumspiceret, qui Abbatiam Lutheranorum cupiditati expositam, tueretur.

Proponebat Ioannem Isenburgicum capitularem & Archidiaconum Treuirensis ac capitularem Coloniensem & Argentinensem, quem præter magnas animi dotes, etiam familiæ, vnde Originem ducebat potentiâ inter omnes commendabat. Bonus Abbas, ad tantum virum in Coadiutorem assumendum, persuaderi se est passus, sed hac lege, vt habitum Religiosum in S. Maximini Cœnobio assumeret, priusquam Prælaturæ vacantis dignitatem adiret, & tum more consueto benediceretur; adhæc, Coadiutoriam in nullum alium transferret sine Abbatis & Conuentus consensu, prout in instrumto desuper solemniter confecto, quod est sub N. 69. continetur.

Ita Ioannes Isenburgicus fit Coadiutor Abbatis S. Maximini anno MDXXI, defuncto deinde Ioanne Ludouico anno MDXLVII. à Capitulo Metropolitano Archiepiscopus eligitur; similiter defuncto Ioanne Cellensi Abbate, anno MDXLVIII. eo ipso etiam in effectu fit Abbas S. Maximini, habitu religioso, vt conuentum erat, nunquam suscepto.

Et quidem, siue vt hac obligatione penitus liberaretur, siue alia de causa, à S. Sede obtinuit, vt Abbatia illi, titulo Commendæ relinqueretur: quod facillè illi fuit, quòd ab alio aliquo Electo oppositionem pati nullam posset.

Eodem anno MDXLVIII. in Comitij Augustanis à Carolo V. Cæsare, constitutio siue Recessus fuit editus, quo Procurator Fiscalis Imperij iussus est actionem apud Cameram eiusdem Imperij intentare, contra omnes status immatriculatos, qui à Contributionibus siue indictionibus Imperio soluendis se eximere nitentur; siue prætextu priuilegij, siue, quod se alteri alicui statui coniunctos dictarent; ex eiusmodi enim malè fundatis exemptionibus, non modo perturbationes, sed & roboris S. R. Imperij diminutionem non mediocrem oriri, status congregati querebantur.

Hanc igitur pulcherrimam intenti sui promouendi (asserendi nempe in perpetuum Archidiecepsi suæ Abbatiam S. Maximini) Ioannes Archiepiscopus nequaquam elabi est passus. Nam cum Prior & Conuentus Maximinianus, exigentibus collectarum Imperij, quæstoribus, nollet quicquam persolvere, occasio Cæsareo Fiscalis litis cõtra Abbatem S. Maximini intentandæ præbita fuit.

Citatur Abbas S. Maximini anno MDXLIX. eaque citatio in Monasterio infinuatur, sed Conuentualis quispiam respondit, vt res erat, non se habere aliū Abbatem, quā Ioannem Archiepiscopum, atque ad illum, Abbatem scilicet suum commendatarium, Apparitorem Camerae remisit.

Ioannes Archiepiscopus per Procuratorem suum Michaëlem Kaden Comparat, coram Camerae Spirensis Tribunali, non modò vt Abbas, verùm etiam vt Archiepiscopus, & cum omnia solus ac pro arbitrio moderaretur, Conuentu Maximiniano ad instar Pupilli & Orphani omni præsidio destituto, in causa & actis seipsum in qualitate Eximentis & Exempti diuerso respectu, inscribi iussit: nimirum se, vt Archiepiscopum Eximentem, vt Abbatem verò S. Maximini Exemptum.

Loco libelli, Petitionem articulatam fiscus mox edit, quā concludit & petit secundum intentum & mentem suprascripti Recessus Imperij declarari, quod Abbas S. Maximini teneatur collectas, tam ordinarias, quam extraordinarias Imperio immediatè pendere, eo quod sit status eidem Imperio immediatè subiectus; vel casu quo deprehenderetur, quod ab Archiepiscopo Iure posset eximi, iniungi eidem Archiepiscopo onus soluendæ contributionis, tam ordinariæ, quàm extraordinariæ, per Abbatem alioquin debitæ.

Hanc Fisci petitionem poterat Archiepiscopus nullo negotio elidere, quod sciret Abbatiam illam esse statum immediatum & membrum S. R. Imperij, pro ut, non modo in literis Inuestituræ suæ sub Num. 56. clarè agnouerat, verùm etiam in libello statibus Imperij oblato, cuius fragmentum supra p. 1. c. 1. Sect. 2. § 14. retuli, vbi querebatur de Luxemburgensibus, quod ad comparandum in Comitibus ordinum Luxemburgensium adigere ipsum conarentur; id enim fas esse negabat, eò quod Abbas S. Maximini status esset immediatus Imperij, & in Comitibus Imperij eà qualitate comparere teneretur.

Nihilominus contra notoriam, & sibi tam clarè perspectam Iuris Maximiniani euidenciam, vt Archidicæcesi commodaret, per procuratorem suum contra fiscalis actoris intentionem, sustinuit Abbatiam Maximinianam non esse Imperij membrum, neque illi immediatè, sed Archiepiscopatu esse subiectam, & vt talem ab indictionibus imperio soluendis ab Archiepiscopo Treuirensi eximi. Ad hunc scopum omnes probationes suas retulit.

Paucis post annis moritur immaturâ morte Ioannes Archiepiscopus, tempore Regiminis sui, quadriennio fere toto morbis conflictatus. Deus nimirum, ac tot Sancti, in S. Maximini Ecclesia depositi, Commendæ illi non benedixerunt, vti hodieque eiusmodi conatibus euenisse videmus.

Succesit illi in Archiepiscopatu Ioannes à Petra, in Abbatia Petrus Reekius à Luxemburgo per conuentum de gremio, ipsius Monasterij electus, Archiepiscopus litem in Camera persecutus est eadem omnino mente & proposito, quo eius Prædecessor. Idem quoque eadem intentione persecutus est Iacobus Archiepiscopus, Ioannis Successor, sub quo demum sententia lata est anno MDLXX.

At Petrus Abbas S. Maximini ad litem illam reassumendam nunquam citatus fuit, neque vnquam per se, vel per Procuratorem legitimè in hac causa constitutum, coram Tribunali Spirensi comparuit. Sed neque Successor eius Matthias Satburgensis, qui biennio ante sententiæ pronunciationem eligebatur, ad litem reassumendam citatus fuit, aut vnquam coram Camerae Tribunali per se, vel alium legitimè comparuit.

Quin imo, illud non est præter eundem, quod Procurator Fiscalis Cæsareus

extractis compulsorialibus à Camera Iudice, Abbatem cœgit edere priuilegia, quæ de Monasterii Iuribus ab Imperio sibi concessa haberet. Abbas confirmatorias Maximiliani I. & Caroli VI. in quibus ad verbum, & integra illa omnia Imperatorum & Regum Diplomata Dagoberti Pipini, Caroli M. Ottonis M. S. Henrici, & aliorum quæ hic exhibemus, comprehenduntur; Ad hæc quasdam Inuestituras Fisco transmisit, de causæ meritis, actis, allegatis, nihil ad illum est relatam, neque liti se immiscere vnquam est Iussus vel rogatus.

Verum est Alexandrum Reifsteck Procuratorem ab Abbate S. Maximini, aliorum negotiorum causâ constitutum, sollicitatum à Fiscali Anno MDLXIV. vt nomine Abbatis compareret, id primum detrectasse, quod diceret (vt ipse met Fiscalis quoque Archiepiscopi Procuratori obiecerat Anno MDLXII. 27. Iunij) neminem pro Abbate vnquam huic causæ interuenisse. Ideoque à Fiscali citationem postulatam fuisse contra Abbatem, qua, ad causam reassumendam compelleretur: quæ tamen nunquam fuit executioni mandata, neque Abbas citatus.

Constat deinde eundem Reifsteck comparuisse declarasseque iterum, se in protocollo, quod attentè considerarat, & perlustrarat, non reperire quod vllus vnquam Abbas, præter Archiepiscopum Treuirensis, eundemque primitus Abbatem Commendatarium, huic causæ se immiscuisset. Nihilominus se, vt non videatur Abbas hunc processum velle impedire, generalis mandati sui copiam ex Fiscali requisitione exhibere, causam cæteroquin, & rem totam se iuxta retroacta relinquere. Atque ita pro defensione Monasterij verbum nullum protulit, factum nullum proposuit, rationem, ne vnâ quidem deduxit, neque conclusionem vllam sumpsit, vt in processu illius actis perspicuè est videre; testium quoque productionem ab Archiepiscopo factam non interfuit, illa enim Anno MDLVII. fuerat peracta, cum mandatum generale Reifsteckio datum fuerit Anno MDLXII.

Ipse quoque Fiscalis causam suam oscitanter peregit, nam contentus documenta ab Abbate per compulsoriales expressa exhibere, nullas viæ vocis probationes pro articulo à se positorum verificatione est exequutus.

Atque ita lis illa tota, inter ipsum Fiscum Cæsareum & Archiepiscopi Procuratores acta, agitata & ad finem perducta, donec sententia lata fuit Anno MDLXX.

Quæ omnia hîc à me relata, verissima sunt, & si opus foret, certis documentis & actis dicti Spirensis processus, firmiter probari possent.

E quibus manifestè sequitur, non bonâ fide agere libelli Scriptorem, dum pro Ioanne Archiepiscopo supponit Ioannem Ludouicum, qui iam anno MDXLVII. obierat, biennio ante citationem Fiscalis, & litem inchoatam, neque erat Abbas Commendatarius S. Maximini, vt Ioannes, quod hoc pacto voluit Scriptor occultare.

Item, dum fingit intentionem Fiscali eò directam fuisse, vt Monasterium Archiepiscopi sæculari Iurisdictioni subtraheret, quod non principaliter intendebat Fiscus, sed Reuocari Imperij obtemperare & solutionem Collectarum siue ab Abbate, siue ab Archiepiscopo, si quidem is eximens esse legitime doceretur, exprimere.

Præterea dum dicit ab Abbatibus Procuratores in hoc processu constitutos.

Denique ipsos Abbates propria Iudiciali confessione se pro subditis Archiepiscopis agnouisse, quæ omnia falsissima sunt.

Falsum item est, quod insinuat ex parte S. Maximini documenta, scripturas,

depositiones testium aliaque Iura producta & ponderata; cum Abbas nunquam ad hanc litem fuerit citatus, multò minus in eo Iudicio defensus vel auditus. Quod studiosè & non sine artificio videtur ita practicum fuisse, ne fortè Abbas compertens, animaduerteret illa quæ contra Monasterij statum agitabantur.

Atque hæc pauca de multis, quæ scilicet occasio & progressus fuerit litis Spirensis, sint dicta: Nunc votum Camerale examinandum, quod auctor libelli in speciem ad probandas supradictas positiones exhibuit.

SECTIO DECIMA.

Votum Camerale nihil contra Iura S. Maximini solidum continere sed potius in multis Archiepiscopo obesse ostenditur.

CVM non agatur de Senatus sententiâ, sed Senatoris duntaxat & Assessoris Spirensis opinione & voto, licebit omnino eius dicta redarguere, & ostendere in quantis uuctor voti à verò aberrauerit. Et cum ab auctore libelli idem votum pro Archiepiscopi præensione inter documenta eius producat, etiam fas nobis erit ijs, quæ pro Iure nostro dicit & concedit, tanquam ab aduersa parte admissis uti ad ipsum conuincendum.

Hoc duntaxat proposito, refutationem voti aggrediar; non ut omnia & singula eius dicta probationesque examinem & refutem, quod inutile æquè ac immensum foret.

s. I. Prima quæstio de Exemplatione documentorum excutitur.

Art. I. Quam vim documenta exemplata habeant.

PRincipio illud obseruandum Maximinianos in lite illa Spirensi, ad quam votum à Scriptore defertur, non fuisse auditos, neque rationes directo aut ex professo contra illos à Senatore (si Senator illud confecit) per illud votum opinante fuisse propositas, sed præcipuè contra Fiscum nomine Imperatoris agentem, & quatenus ipsorum Imperatorum facta Imperatores concernebant, non autem quatenus eadem facta Maximinianorum interesse Iusque tangere poterant.

Quorum respectu variant sanè rationes causæque dicendi ac decidendi, utpote in quorum Maximinianorum Iure consistat Ius Tertij, cui per rescripta Principum non ita præiudicatur, quemadmodum ipsorum Principum cedentium proprio Iuri.

Vnde fit, ut quod ad primam quæstionem in voto propositam attinet, consistere potuerit illa distinctio exemplorum, ut non valeant exempla expedita, etiam à Principe, nisi præsentem aut citatâ parte, dum de instrumentis agitur, sicut in Priuilegijs vel renouatione priuilegiorum, quam Papa vel Princeps facit, ut scilicet valeat illorum exemplatio, etiam partibus non vocatis, quod intelligendum est in quantum concernunt præiudicium Principum, Priuilegia renouantium exempla que confirmantium, modo ipsi Principes tales sint, qui

priui-

priuilegia ipsa principalia de nouo possent concedere (quæ limitatio etiam in ipso voto additur) atque etiam saluis alijs omnibus in rescriptorum ob cætera vitia obiectionibus, vti subreptionis, obreptionis, & similibus.

Sed vt exemplatio Priuilegij valeat in præiudicium Iurium tertij non præsentis, nèque vocati, hoc denique ita non est, *Didacus, Conarru. præct. quæst. cap. 21. num. 8.* quia tunc eadem ratio militat quæ in instrumentis, scilicet ne lædatur absens exactu, ad quem citatus non fuit, in quo ideo defensiones suas in contrarium allegare, vitiaue prætenforum Originalium ostendere non potuit, præsertim cum non modo de graui, sed de grauissimo præiudicio agitur, vt hic.

Quæ ratio fundata est in ipso Iure naturæ, quæ non magis tolli potest, quàm ipsa sui defensio, ab ipsis naturæ, Iurisque diuini principijs ordinata. *Clement. Pastoralis de re iudic.*

Art. 2. An à Principe tolli possit citatio partis in Exemplatione.

Fatetur votum id per ordinariam Principis potestatem fieri non posse, sed aliter sentit de potestate absolutâ, atque etiam de ordinariâ, ex causâ.

Verùm nequaquam cogitandum est Principes vti velle absoluta potestate, aut plenitudine potestatis (quam non malè vocant plenitudinem tempestatis, nullamque in bono Principe agnoscunt pij Doctores) *Didacus, Couar. var. resol. lib. 3. cap. 6. n. 8. Præsfab. Cod. lib. 1. def. 11. nu. 10. in alleg. Petrus Rebuffus. praxi benef. de non tollendo, ius quæsit. reg. 16. gloss. 6. num. 34.* nec id facillè fingi aut admitti debet, multò minus in hoc casu existimari: quod Imperatores optimi Principes, à Iure recedere, alterum lædere, Iuri tertij præiudicare cogitaerint aut intenderint suis rescriptis, vt Archiepiscopi prætensa exempla confirmarent. *Gail. lib. 2. obseru. 56. Pertinet enim, inquit, ad officium boni Principis curare, ne dilectionem proximi offendat, aut iustitiam violet, neue tempestatis potius, quàm potestatis plenitudine utamur,* Et ex Zasio addit, *Scio boni Principis potestatem ad tutelam subditorum & iustitiam asserendam esse amplissimam, ceterum, vt iniuria subditis fiat, illic Principis potestatem non agnosco, sed Tyranni, id enim dicimur posse quod honeste possumus.*

Accedit quod certum sit Confirmationes, quæ quibuscunque alijs absentibus ad nudam impetrantis petitionem concedi solent, illas semper clausulas ac conditiones, si non expressas, saltem subintellectas continere, *Saluo Iure Tertij.* Item *si preces veritate nitantur:* de quo latius infra tractabitur.

Deinde inserta non sunt in libello, illa Maximiliani & Caroli V. Diplomata, per quæ dicitur in voto *pag. 89.* priuilegia fuisse exemplata, neque etiam exhibetur illud Friderici, cuius mentio fit in eodem voto, quæst. *An Elisa. pag. 94. in principio,* vbi dicitur quòd iusta causa in Friderici priuilegio expressa sit, videlicet *Originalia in Bello & alias igne consumpta esse.*

Vnde fit, vt contra eorum clausulas ac formam nihil specialiter deduci possit.

Sed ex ipsa illius causæ allegatione, quod *Originalia in bello & alias igne consumpta sint,* euincitur ipsa originalia in prætensis illis Imperatorum exemplationibus visa non fuisse, vt pote quæ non extitisse sed etiam tunc perijisse asseratur, vnde consequens est nudam exemplationem simplicium exemplorum

confectam esse atque adeo quod nihil aliud habeatur, quam exempla exemplorum, quibus nullo modo creditur, etsi exempla ab alijs exemplis solemniter traducerentur. *Didacus Couarru. eod. cap. 21. pract. quest. n. 4.*

Verum est, ista prætenfa causæ belli aut ignis verisimilitudinem nullam habent: non enim vlla extat memoria, quòd Archiuiua vlla Archiepiscopalia igne conflagrârint aut bellis deuastata fuerint neque minor extitisset cura Originalium conseruandorum & ad hæc vsque tempora transmittendorum, quàm simplicium exemplorum, præsertim cùm talia documenta, pro tanta mole totiusq; rei in Maximinianos, basi & fundamento habeantur.

Sed præsumptio vehemens ex illis ipsis obtentis prætextibus exurgit, vera ac genuina Originalia scienter suppressa esse, vel celari, timerique veram eorum faciem in lucem prodi, ne pateant illa quæ timent aduersarij, à nobis hætenus deducta.

At neque causa illa prætenfa amissionis Originalium iusta est ad hoc, vt Princeps Ius Tertij tollat aut imminuat. Debet enim causa esse publica aut ad publicam necessitatem, vtilitatemue spectans, vt Iuri priuatorum derogare possit Princeps, quæ derogatio illo in casu sustinetur, ob illam superiorem transcendentemque rationem, *Salus populi suprema lex esto*, ita vt quod in particulari contingit iniquum, vtilitate publica rependatur. *Gail. libr. 2. obseruat. 56. numero 2.*

Sed prætenfa amissio Originalium, causa est priuata ob quam non magis tolli potuit vllum Maximinianorum Ius, quàm possint vllæ aliorum res, aut iura aliena ab ipsis Dominis tolli, vt Archiepiscopo donentur.

Ita vt hic non aptè inferatur illa disceptatio, An iusta causa præsumatur in Principe dum infert præiudicium alicui, aut reuocat quod concessit, cùm enim causa illa expressa reperiatur, quæ inutilis est, cessat quæstio causarum diuinatoria.

Sed neque verum est, in thesi generali, causam iustam præsumi in Principe ius tertij tollente, dum contra ius gentium disponit, vel statuit, vel etiam, quando contra Ius positium, si id faciat ad postulationem Partis, quin immo præsumptio est Principem importunitate & ex falsis narratis supplicantis circumuentum esse. *Gail. lib. 2. obseru. 58. n. 2.*

Et fanè, quæ causa aut ratio existere potuerit, ob quam ab Archiepiscopis vocari non debuerunt Maximiniani ad illarum exemplationum factum, ac itidem quæ ratio, vt ope aut medio istarum illis incognitarum exemplationum, Ius illud immediationis sub Imperio, adeo arduum, illustre, ac pretiosum lædi æquum fuerit?

Ad hoc autem, quod additur in voto, constitutionem istam, vt exemplis non credatur, videri esse de Iure positium & ideo à Principe posse tolli, circa illam quæstionem, si illi inhærere opus esset, præsertim si intelligatur absque partis citatione, multa examinanda occurrerent, quæ non adeo facile soluantur, præsertim circa Ius naturale citationis, quod vnumquemque vocari iubet, ad illum actum vnde lædi possit, præsertim in re graui; Ac sane nemo non videt quanta pericula imminerent, si instrumenta confici possent (nam & exemplatio quædam est species instrumenti confectionis) plene probatoria contra tertium, illo absente ac incio.

Verùm in hoc nostro casu, non incidit quæstio illa circa legem aut statuentam, aut statutam, neque enim olim Imperator lege sanxit, vt exempla plene probent:

Sed

Sed quæstio est, vtrum exempla particulariter pro Archiepiscopo exemplata, absentibus Maximinianis contra illos probent.

Quod ipsum est quod negatur, idque ex eo, inter cætera, quia nulla lex est, quæ statuat talibus exemplis credi, sed bene non credi.

Ac quod dicitur, voluisse Imperatorem in Exemplatione illa particulari fidem adhiberi tanquam originalibus, si id intelligere velis etiam in præiudicium Maximinianorum; hoc quoque ipsum est quod merito impugnatur, quia id contra Ius Legesque est.

Concessio enim illa prætenfa, rescriptum ac factum particulare est, ad sollicitationem narrationemque partis impetratum.

Atqui iubent Leges, ipsique Imperatores Legum auctores, vt suorum Rescriptorum, quæ contra leges generales impetrantur, nullus sit contra vllum pro vilo vsus, vtque in Iudicio non suscipiantur, sed illis reiectis secundum Leges Generales iudicetur.

Ita enim fanciunt, vt *Iudices nullum rescriptum, nullam pragmaticam sanctionem, nullam sacram adnotationem, qua generali Iuri aduersa esse videatur in disceptationem cuiuslibet litigij patiantur preferri, sed vt generales constitutiones modis omnibus non dubitent obseruandas. textus n. l. omnes vlt. C. si contra ius.*

Item, vt *non secundum nouas formas, controuersia aut lite pendente particularim impetratas iudicetur, vtque nulla talis sacra Imperatoria qualibet, ex scripto, aut non scripto valeat iussio, aut dispositio, sed vt secundum generales leges cause examinentur, & decidantur. Authent. in medio litis non fieri sacras form. & c. col. 8. tit. 14. cap. 1.*

Quod additur in voto, Fiscalem exemplata documenta non impugnare, cessat in Maximinianis, qui illa ex professo impugnant, idque non simplici negatione, sed ex varijs causis summisque rationibus, quas videre licet in refutatione Diplomatis Conradini & aliorum.

Ad hoc etiam quod dicitur Fiscalem produxisse exemplata priuilegia, ita vt quod Iuris in alios statuerit, eodem & ipse vtatur.

Respondent Maximiniani se ad Iuris sui fundamentalis probationem proferre Originalia Imperatorum Regumque diplomata, vt sunt omnia illa, quæ hic exhibentur Dagoberti, Pipini, Caroli M. Ludouici Pij, Lotharij, Ottonis M. Ottonis II. III. Henrici II. III. IV. V. Conradi, Friderici I. Rudolphi I. aliorumque omnium Imperatorum & Pontificum consequentium.

Sed etsi nonnulla etiam exempla, non tanquam præcipua suæ rei fundamenta, sed velut per accessorium quoddam superabundans tot Originalibus Documentis fundamentalibusque suis authenticis probationibus annecterent, quo casu per talem concomitantiam fortificata exempla aliquam probationis additionem operarentur. *Didac. Couar. ibid.* Non tamen eadem ratio in Archiepiscopo, qui omnia suarum prætensionum radicalia fundamenta non in alijs probationibus, quam in simplicibus exemplis, immo exemplorum exemplis, constituit, ijsque plenam fidem adstuit, quamuis præterea ob diuersa vitia labefactentur per plurima contraria Originalia Documenta evertantur, a omnibus istis rationibus, quas hætenus aliunde deduximus refutentur. Ita vt pro Archiepiscopis nullum tale Ius constituendum sit, quod Maximiniani in exemplis sibi constituerent, quamuis neque sibi tale vllum Ius ex illis constituent, quale sibi Archiepiscopi.

s. II. Dicta à voti auctore in secunda quæstione ab eo proposita refutantur.

Art. 1. Qua ratione Archiepiscopo datum sit mandatum de inuestiando Abbate, nomine & loco Cæsaris & Imperij.

IOannes Archiepiscopus, Anno Millesimo, quadringentesimo, nonagesimo quinto, sciens & agnoscens se in Iurisdictionali Dominio, alijsque Regalibus siue feudis erga Maximinianum Cœnobium nihil habere, sed illa imperialia esse feuda, & ab Imperatoribus imperioque per ipsum Cœnobium teneri, contentus fuit sibi per Imperatorem Maximilianum I. concedi, ut ipse Archiepiscopus eiusque Successores possent deinceps Abbates eiusdem Cœnobij de ipsdem Regalibus feudisque Imperatoris Imperijque nomine ac autoritate, & à parte eorundem Imperatorum infeudare, inuestituræve conferre siue renouare.

De illa concessione scripsit Imperator ad Abbatem tunc temporis Ottonem litteras datas Vormatiæ, vltimâ mensis Iulij, anno Millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto, per quas indicat Imperator eidem Abbati, se, ut supra, concessisse ante memorato Ioanni Archiepiscopo cognato suo, ut ipsius Imperatoris & suorum in Imperio Successorum ac Imperij nomine, & à parte ipsorum, Abbates de Regalibus, feudis & temporalibus, quæ à sacro Imperio mouebant ac tenebantur, infeudaret, mandat in simul Imperator eidem Abbati, ut ad denunciationem eiusdem Archiepiscopi Ioannis, ipse Abbas eadem sua ac sui Cœnobij Regalia, feuda, temporalitates ab eodem Archiepiscopo, à parte ipsius Imperatoris & Sacri Imperij accipiat, & ut illi ipsius Imperatoris vice præstet solitum Iuramentum.

In quibus sanè expressè continetur, feuda illa nomine Imperatoris infeudanda siue inuestienda, esse Sacri Imperij feuda ab Imperatore Imperiove ad Abbates Cœnobiumque procedentia, ab Imperatoribus inuestituræ dari, ipsis vicissim fidem siue fidelitatis Iuramentum ab Abbatibus rependi.

Quas quidem litteras cum dictus Abbas Otto recepisset, ac deliberatione habita reperisset in eis nihil contineri, per quod sui Cœnobij Iuribus præiudicium fieret, quippe, cum etiam iure permittente possent etiam nolentibus Vassallis inuestituræ per procuratores tradi. *tit. per quos fiat inuestit. cap. in vssibus feudorum.* Immo quoad ea inuestitio ab Archiepiscopis pro Imperatore Imperiove exequenda in Commodum Cœnobij vergeret, eo quod istius ope eximeretur Abbatia istis incommodis, sumptibus, dispendijs, quæ ad quærendas in aulâ longe distitâ easdem Inuestituræ impederentur, scrupulum nullum reperit, cur non eandem inuestituram Imperatorum Imperijque nomine & autoritate tradendam ab Archiepiscopo reciperet, simulque forma consueta in eius manibus fidei Iuramentum Imperatori Imperioque præstaret, vti & de facto recepit præstititque.

De quo actu, in forma qua supra, expedito, idem Archiepiscopus confessorias reuerforialesque litteras eidem Abbati tradidit, per quas fatetur, asseritque Monasterium S. Maximini *insigne Sacri Romani Imperij membrum existere*, se eidem Abbati Regalia, Temporalia & feuda, Regis nomine & autoritate præ-

fito prius fidelitatis, subiectionis & obedientiæ Iuramento debito ac consueto concessisse, ipsumque de iisdem infeudasse & inuestiuisse, eadem Regalia, Temporalia & feuda Monasterij ab eodem sacro Imperio per Abbates Monasteriumque haberi ac teneri, decernit eodem nomine & autoritate vt Abbas in omnibus & singulis suis, & Monasterij sui oppidis, suburbiis, vicis, castris &c. Regalia, temporalia & feuda huiusmodi cum suis honoribus, præminentijs & attinentijs quibuscunque mero quoque & mixto Imperio ac exercitio Iurisdictionis temporalis habeat & exercent, illisque vt valeat, quemadmodum sui prædecessores Abbates habuerunt & exercuerunt, illisque vsi sunt, seu habere & exercere, & vt quomodolibet potuerunt & debuerunt; Mandat præterea nomine & autoritate supradictis, vniuersis & singulis Vassallis & fidelibus Comitibus, Baronibus & Officialibus, ciuibus ac subditis quibuscunque sæpediti Monasterij, cuiuscunque dignitatis, gradus &c. quatenus præfato Abbati, tanquam vero, naturali, recto, ordinario & legitimo suo Domino in omnibus & singulis Regalia, Temporalia, & feuda huiusmodi, merum quoque & mixtum Imperium ac temporalis Iurisdictionis exercitium, seu alia præmissa quomodolibet concernentibus debite & reuerenter obediant & pareant in omnibus, &c.

Eadem inuestiendi forma continuata ac obseruata fuit non interrupta serie in omnibus & quibuscunque Abbatibus, Ottonis Successoribus, vsque ad Ioannem Isenburgicum Archiepiscopum, sub quo principium accepit ille processus in Camerâ Imperiali ventilatus, in cuius deliberatione prætenditur compositum fuisse illud votum.

Sed particulariter ac notabiliter ab ipso Ioanne Isenburgico Archiepiscopo simul ac Abbatia Commendatario eadem forma obseruata fuit, in cuius infeudationis, receptique Iuramenti instrumentis sub Num. 56. & 57. multa præclara continentur: nempe quòd tanquam Imperatoris Imperij Commiffarius, item, quòd vi mandati ab Imperatore recepti, inuestituram tradat, vicissimque fidem recipiat, quòd *Insigne Sacri Romani Imperij membrum* existat, Item quòd eadem Regalia, Temporalia, feuda ab eodem Imperio per Abbates Monasteriumque habeantur ac teneantur.

Sed & præter cætera notabilis, est forma ipsa Iuramenti in altero ex binis eiusdem Isenburgici instrumentis sub Num. 57. inserta, quæ planè conformis est isti formæ, quam ediderunt Maximiniani inter sua documenta N. 52. notata:

Videbis enim illa in fidem promitti, sponderi ac Iurari in manibus Archiepiscopi recipientis (nomine & à parte, & ex mandato Imperatoris) non ipsi Archiepiscopo, sed Imperatori Imperioque, ex quo sanè insignis iniquitas arguitur istius formæ fictæ ac mutatæ, quam scriptor ausus fuit suo libello insere sub lit. H. 1.

Intelligit ista, voti auctor, quicumque ille sit, & manus cogitur dare veritati in tam clara luce: & quis ita sit peruicax, qui non det? cogitur, velit, nolit, agnoscere, verè Imperij esse feuda, ab Imperatoribus Imperioque per infeudationem ad Maximinianos profecta, ad Imperium Imperatoremque itidem per fidelitatem relata ac recognita.

Videt etiam incompatible esse, quòd Archiepiscopus infeudet non suo, sed Imperatoris nomine, siue quòd idem est, quòd Archiepiscopus planè non infeudet, sed Imperator, & quòd nihilominus Archiepiscopus sit Dominus feudi. Itaque hic sudat, anhelat, textum torquet, vellicat, conglomerat congeries in formes, sine capite, sine sensu, quæ nec vllus, nec ipse intelligat, se

vertit in mille partes, fingit Chimæras, monstra contradictionum parit, vt hoc faltem impetret, quod per infeudationem Imperatoris nomine, non censeantur Archiepiscopi renuntiâsse iuri dominii, quod illos ante Impetrationem illam Maximiliani I. habuisse præsupponit, in quo sanè, quod ille edicit, suscipit laborem frustrancum, quod sublequentibus rationibus ostenditur.

Art. 2. Quòd frustra suspiciatur à voti auctore labor, dum probare conatur Archiepiscopus non abdicâsse à se Monasterij dominium per Impetrationem Diplomatis Maximiliani I. Imperatoris.

ITaque pro summa, & fulcro totius rei, hanc quæstionem proponit voti auctor à se discutiendam, *An ipsa confessio (verba cuius ponimus) Archiepiscopi, qua fatetur se Regalia conferre Abbati non suo, sed Imperatoris nomine, item quod membrum Imperij sit, an ista confessio sit contraria dominio & proprietati, tum & possessioni Monasterij quam præten dit Archiepiscopus prædictus, vt si ante dominium cum possessione, aut alterutrum horum habuerit, vt per hoc abdicatum à se videri debeat: id enim (addit) si ita sit, frustra à nobis suscipitur labor.*

Suscipitur sanè, non solum ob hoc quod ais, sed quia prius est, vt probes Archiepiscopum habuisse dominium, quàm vt de eiusdem renunciatione aut abdicacione saluandâ labores.

At: an illud probes, testabuntur illa, quæ hætenus in probationibus Maximiliani status ac in refutationibus præten sorum Archiepiscopalium diplomatum: siue Conradinum illud sit, siue Fridericianum, siue quodcunque aliud factis superque deducta sunt, neque hîc repetimus, patent suo loco, ac docent non solum quàm non probet Archiepiscopus, sed quàm apertè irrefragabiliterque Status Monasterij contra illum probetur, ad quas probationes ne verbo responsum est per ipsum voti auctorem, sed & præterea:

Art. 3. Ex eo quòd Archiepiscopi fatentur se Regalia & inter illa Iurisdictionem Abbati conferre, siue eorundem Inuestituras renouare non suo sed Imperatoris Imperijq; nomine, probatur Archiepiscopus eorundem Dominos non esse, sed Imperatorem Imperiumq;.

DIximus inuestituras renouare, neque enim de prima illa inuestitura siue infeudatione, quæ in ipsa prima feudorum donatione vi Originarij feudalis contractus Maximilianis pridem tradita fuit, quæstio aut tractatio est, sed de infeudationis inuestiturarumque renouationibus, quas ad hominum mutationes fieri contingit, quæ renouationes nequidquam noui dant, sed feudum hætenus constitutum confirmant.

Illas infeudationes, siue inuestiturarum renouationes ad Abbatum mutationes peragit Archiepiscopus, Imperatoris nomine, vt dictum est, & vt illas eodem nomine facere posset à Maximiliano I. impetrauit. Studet voti auctor ostendere per illas renouationes, Archiepiscopos non renuciâsse iuri dominij,

si aliquod antea habere potuerant, verum quidquid sit de effectu, quoad abdicationem siue renunciationem, quæ, vtrum, & quando ex actu contrario inducatur, passim à DD. tractatur, de quo non opus est hîc in longam disceptationem ingredi: illud contendimus ac sustinemus, impetrationem illam ac factum infeudandi Archiepiscoporum, hoc operari, vt probet Dominos illos non esse, Iurisdictionisque aut aliorum Regalium vel feudorum ad Maximinianos pertinentium dominum, neque habuisse, neque habere.

Quia (vt clarum est) dum Archiepiscopus Maximinianum Abbatem inuestit de Iurisdictionibus eius mero ac mixto Imperio, Imperatoris Imperijue nomine, non ipse Archiepiscopus, sed Imperator inuestire censetur. *text. in cap. Inuestitura §. sed etiam. tit. per quos fiat inuestit. in vsib. feudor.* his verbis: *Sed vtrum ipse, vel alius pro te inuestituram faciat, vel suscipiat nihil interesse putamus. Text. in l. quod meo ff. de acquir. vel amit. poss.* his verbis, *Nec idem est possidere, & alio nomine possidere, nam possidet cuius nomine possidetur, &c. cum similibus.*

Vnde sequitur, quod non Archiepiscopus, sed Imperator Iurisdictionis feudorumque Maximinianorum Dominus sit, quia Dominus est is, à quo inuestitura proficiscitur, *c. per quos fiat inuestitura. & passim in vsib. feudor.*

Dices, illud ipsum confitetur voti auctor, ait enim Imperatorem directum esse Dominum, sed addit, quod Archiepiscopus potest esse, & est utilis Dominus: rationem inter alias hanc ponit, Dominus, inquit, feudi aut Princeps potest aliquem infeudare, infeudatus rursus alium super eadem re, nihilominus tamen vterque manet Dominus, & res dicitur esse vtriusque: addit hanc regulam, Vasallus, mei Vasalli, meus est Vasallus, quia res à primo Domino descendit, alioquin (ait) si non sit eadem res, Vasalli mei, Vasallus meus non est.

Hic fingere oportet Abbatem in Iurisdictione siue (ratione eiusdem) in Regalibus esse Archiepiscopi subuasallum, quasi Iurisdictione antiquitus per Imperatores data fuerit Archiepiscopis in feudum, deinde eadem per Archiepiscopos retro donata Maximinianæ Abbatiae in sub feudum sibi retentis primarij vtilis dominij reliquis, vt sit in sub feudatione.

Sed hoc illud ipsum est, quod per omnes probationes refutatum est, ostensumque Abbatem, Abbatiamve nihil potestatis aut Iurisdictionis Regalium, aut aliarum quarumcunque rerum ab Archiepiscopis vnquam accepisse: sed omnia immediatè ab Imperatore, non dependere ab illorum vllâ potestate, sed ab hoc vnico.

Sed, vt in terminis nostri præsentis propositi, de effectu in feudationis hîc maneamus, res ita est, quod subuasallus non infeudatur, aut inuestitur per mediatum superioremque Dominum, verum per Dominum suum immediatum, à quo sub infeudationem habet, idque vi contractus subinfeudationis, cuius implementum perficitur per inuestituræ traditionem, confirmaturque per eiusdem renouationem. *Rosenthal de feud. cap. 6. concl. 63. Carolus Molinæus, de feud. §. 60. gloss. 1. n. 5.*

Itaque cum Archiepiscopus Abbatem non inuestiat, sed Imperator, non Archiepiscopus, sed Imperator immediatus est Abbatis Dominus.

Illud autem quod iactatur, Vasallus mei Vasalli, est meus Vasallus, ad rem non pertinet, quamuis videas Doctores passim ita intelligere: scilicet quod istud dicatur ac procedat crassius & pingui Minerua, siue largo modo, quia Vasallus mei Vasalli etiam ratione eiusdem rei, non absolutè, nec propriè & simpliciter est meus Vasallus, sed solum, mediatè & propriè loquendo, non debet dici meus Vasallus, sed meus subuasallus, nec propriè & simpliciter dicor eius

Dominus, sed Dominus mediatus, seu Dominus Domini sui, ut inquit Text. in cap. vnic. de allod. ad fin. ibi. Aut sub Rege Dominium suum. *Carolus Molinæus de feud. §. 1. gloss 6. n. 2. And. Aluat. in l. Modestinus ff. de verbor. signif. Henricus à Rosen. thaal cap. 9. membro 1. concl. 47. & cap. 8. quest. 10. & 11. cum plurimis DD. ab eo citatis.*

Sed ista parum ad nostrum propositum, & demus votatori, ut illa habeat, prout volet.

Addamus & præterea, Quod Rex in suo Regno, ac quilibet supremus Princeps in sua ditione, particulari prærogatiua, vniuersalis est Dominus, quodque non solum sui Vasalli immediati, sed & subvasalli omnes, & eorum Domini sunt Clientes & subditi sui; Imò, quod in fidelitate & Sacramento, semper nominatim excipiat, vel excipi intelligatur fidelitas supremo Principi debita ob subiectionem illam, quæ ab omnibus, siue Vasallis, siue alijs quibuscunque subditis supremo Principi debetur, nobis hîc sufficit quod inuestitio ab immediato Domino proficiscitur ac præstatur.

Quod quidem ita esse constat non solum ex constitutionibus, iureque feudali, sed & ex ipsa omnium Regnorum, ditionum ac populorum & præcipuè in Imperio usu & obseruantia.

Videmus enim omnes Imperij Principes, qui Status suos ab Imperio immediatè recognoscunt, illos feudatarijs suis, vasallisque, qui ab iisdem Principibus in ditionibus suis, feuda immediatè subfeudorum iure tenent, infeudationes, inuestituræ sue conferre siue renouare pro se, suoque nomine, propriaque auctoritate, cauebuntque, ne Imperatoris nomine infeudent, multò magis, ne, ut illud facere possint, postulent; exempla lustres Regis Bohemiæ, Ducis Saxonix, Comitis Palatini, aliorumque Principum Electorum, ac quorumcunque aliorum Imperij Principum vel statuum; ac si possis, vel vnicum ex eorum Vasallis nomines suis ditionibus, Iurisdictionibus, Principatibusque subditum, quem iisdem Principes ob idem feudum à seipsis mouens ac tentum, Imperatoris nomine infeudent, non autem suo.

Ipsè Archiepiscopus in suo, ac sub suo Archiepiscopatu plures habet suos Vasallos, Archiepiscopum immediatè pro feudali Domino recognoscentes, vel vnum ex illis nominet, quem Imperatoris nomine infeudet, quorum fidelitates recipiat, Imperatoris nomine, non suo, quos ut infeudare posset opus haberit illi concedi, ut id Imperatoris nomine facere liceret.

Ac sanè etiam semotis omnibus ratiocinationibus ex ipso simplici naturali iudicio, si Archiepiscopus Dominus fuisset, quid opus erat eum postulare impetrareque, ut inuestituræ conferret pro Imperatore siue Imperatoris nomine? Fingat hic nobis vel votator, vel scriptor, vel alius quicumque ex Archiepiscopistis vllum causæ, vel colorem, vel umbram.

Art. 4. Quod voti auctor frustra laboret in questionibus generalibus, cum habeatur casus specialis decisus, quodque eius exempla contra ipsum militent.

Potest, inquit, suo nomine quis aliquid habere in re, immo ipsum Dominium, & tamen etiam alieno nomine in eadem re aliquid facere; exemplum ponit in procuratore in rem suam, in usufruario. Quis enunciationem istam, ut ita generalis est, negat? Et illi non solum subscribimus genera-

tim, sed si cupit, etiam auxilia præstamus, & addimus; Potest Hypothecarius creditor, qui Hypothecæ ius in re habet, rem, Domini nomine locare, arare, colere, eandem rem Domini nomine possidet, etsi ius illud suum hypothecæ sibi ac pro se habeat. Potest proprietarius fructus colligere usufructuarij nomine, & vicissim usufructuarius, Domini nomine proprietatem conseruare, detinere. Hoc non est, quod opus est, vt prober, sed istud: Archiepiscopus non infeudat, sed Imperator infeudat, siue Archiepiscopus non infeudat suo sed Imperatoris nomine, & tamen Archiepiscopus est immediatus feudalis Dominus, hic labor erit, quem frustra suscipiet.

In thesi illa generali, potest quidem quis Ius aliquod in re habere, & tamen aliquid etiam alieno nomine præstare, sed id diuerso respectu, ita vt in eo, quod alieno nomine facit, nihil habeat, & alienum nomen, suum proprium excludat, qua de re est textus apertus in *d. l. quod meo. ff. de acquir. vel amit. poss.* his verbis, *Quod meo nomine possideo possum alieno nomine possidere* (id est constituere. Gothef. ad d. l.) *nec enim muto mihi causam possessionis, sed desino possidere, & alium possessorem ministerio meo facio, nec idem est possidere & alio nomine possidere, nam possidet cuius nomine possidetur, Procurator alienæ possessioni præstat ministerium.* DD. passim ad d. l. cum similib.

Ac, vt in exemplis in voto allatis consistamus, Procurator in rem suam, siue qui cessam aut emptam habet actionem, in actione directa, quam Domini nomine instituit nihil habet, sed manet illa Domini propriari eiusdem offibus inseparabiliter infixa.

Actionem vtilem habet Procurator in rem suam, sed illam non Domini, sed suo nomine intentat, adeo, vt si eandem Domini nomine intentaret, ab illa eadem eo ipso se abdicare censeretur.

Sic & usufructuarius proprietatem Domini nomine possidet, atque adeo non ipse, sed Dominus possidet, in eaque nihil habet, sed ius usufructus suo nomine tenet, fructus colligit suo itidem nomine, proprii usufructus iure, non autem Domini iure aut nomine, adeo vt si Domini nomine fructus se colligere constitueret, eo ipso eisdem Domino acquireret, & ab illis sese excluderet. *l. Pomponius 29. ff. quib. mod. usus. vel us. amit. d. l. quod meo, l. qui bona fide. ff. de acquir. vel amit. poss.*

Itaque ex ipsa ratione similitudinis ab iisdem exemplis deductæ concludenter sic inferitur, inuestituram Imperatoris nomine tradit Archiepiscopus, ergo feudale Dominium immediatum non habet, si Dominium immediatum haberet, inuestituram traderet suo nomine, hoc non facit, ergo nec illud habet, vt de Abdicatione taceam.

Art. V. Ex diuersis alijs in voto assertionibus probatur Abbatie Dominium ad Archiepiscopos non pertinere.

QUOD Dominium (inquit votum) & proprietatem, verum est Imperij esse Monasterium cum Regalibus, iuribus, item esse omnia temporalia Imperij feuda: Splendida est confessio, quam ipsa rei euidentia expressit: vide congruam ex illa illationem, & sic (addit) *directo Dominio ad Imperium pertinere, vtili verò ad Archiepiscopum Treuirensis.*

Quemadmodum (subuertit) omnes Ducatus, Comitatus & membra alia Imperij sunt Imperatoris, cum Regibus, iuribus, feudis, quæ tamen quoad vtile Dominium

sunt Principum, Comitum & Vasallorum. Est enim distinctum Dominium in directum, utile & quasi Dominium, quilibet enim Dux in suo Ducatu est loco Principis, hæc votum.

Vnde sic deduco, illa sunt Imperij feuda, quæ ab Imperatore Imperioque immediatè tenentur siue procedunt, atqui feuda nostra sunt Imperij feuda, (ait votum vti & omnia documenta) ergo ab Imperatore Imperioque immediatè tenentur, siue procedunt.

Deinde ita: Abbas Monasteriumque suæ propriæ Iurisdictionis suorumque Regalium, Feudorumque aliquod sanè habet Dominium, virtute cuius inuestitur, hoc in confesso est. quodnam autem dices esse? nempe utile.

Atqui Imperator (vt ait votum) directum habet Dominium, Abbas autem, siue Monasterium utile, ergo nihil superest quod Archiepiscopi habeant, diuisum enim est (vt inquit votum) dominium in directum & utile, vtraque autem illarum specierum ab alijs occupata est, ergo nihil restat Archiepiscopo, quod occupet.

Iterum sic: Dux est, Comes, Baro, Castellanus, Iurisdictionalis Dominus, qui de Ducatu, Comitatu, Baroniâ, Castro, Iurisdictionali ditone inuestitus est. *ut quis dicatur Dux Comes &c. in vsib. feudor.*

Atqui Abbas inuestitur de Comitibus, Baronijs, Iurisdictione, Iurisdictionalibusque Dominijs, Ergo Abbas Comes est, Baro, Iurisdictionalis Dominus.

Sed (vt subiungit votum) *quando Duces, Comites, Barones recognoscunt alium superiorem, tunc sunt loco Præsidis: & sic alieno nomine Ducatus, & Comitatus tenetur, Imperatoris scilicet; nihilominus dicitur esse suus Ducatus, & omnia emolumenta capit is, qui est loco Præsidis, hæc votum.*

Itaque secundum istam voti rationem: si Abbas recognouit alium superiorem, tunc est loco Præsidis, & sic Imperatoris nomine, Ducatus, Comitatus, Regalia, Iurisdictionem tenet Abbas; deinde omnia emolumenta capiet, cum (vt dicit votum) omnia emolumenta capiat is, qui est loco Præsidis, itaque nihil capiet Archiepiscopus, cum post omnia capta nihil superfit, quod capiat.

Denique, vt in genere Comes, Baro, Castellanus, Iurisdictionis Dominus dicitur, qui de feudis istis inuestitus est: ita in specie, Imperij Comes, Baro, &c. dicitur, qui de illis ab Imperio Imperatoreque inuestitus est, quemadmodum Archiepiscopatus Comes, Baro, Castellanus, qui ab Archiepiscopo Archiepiscopatus iure inuestitur, atqui Abbas de illis inuestitur ab Imperatore Imperioque, Ergo Imperii est Comes, Baro, Castellanus, Iurisdictionalis Dominus.

Art. 6. Ex eo, quod voti auctor Archiepiscopus habeat pro Præsibus, vicarijs vicem gerentibus atque adeo pro Officialibus, eosque tales esse asserat: sequitur ac probatur, quod non sint Domini.

QVANDO, inquit votum, *Duces, Comites, Barones, recognoscunt alium superiorem, tunc sunt loco Præsidis, citat ad hoc Iasonem; subiungit, Et quod Præsides nomine & vice principis omnia faciat & eius officio fungatur, est text in l. sed licet ff. de offic. Præs. hæc votum.*

Quæ ideo deducit, vt illa Archiepiscopo tanquam Maximinianorum pro Imperatore Præsidi applicet.

Ita autem habet istius legis textus: *Sed licet is, qui Prouinciæ omnium Roma*

Magistratum vice & officio fungi debeat, non tam spectandum est quid Romæ factum est, quam quid fieri debeat.

Dicit Lex, quod Præses in Prouincia id sit ac possit, quod sunt ac possunt omnes Magistratus, Romæ: uti autem Magistratus Romæ Domini non erant, ita neque Præsides in Prouinciis, sed meri erant Reipublicæ ac postea Imperatorum officarii, sed administrati, uti & ista lex & omnia iura comprobant, ac ipsa rubrica de officio Præsidis, omnesque Reipublicæ Romanæ status, siue Aristocratia, siue Democratia, siue Monarchia vel Principatus, ac denique ipse votator, qui paulò post hæc ait, *manere enim insigne membrum Imperij potest, habens tamen Officium Præsidentis & Vicarium perpetuum*, ubi Præsidentem, Vicariumque pro officariis habet & agnoscit.

Vnde sequitur, quod Votator dum Archiepiscopum tanquam pro Imperatore Præsidentem constituit, illum à Dominio excludat, quanquam neque magis Præses sit, quam Dominus, ut infra demonstrabitur.

Addit votum, *Partes conuenerunt in processu asserente reo & acceptante Fiscali, Archiepiscopum esse perpetuum Imperatoris Vicarium.*

Sed Vicarius & vicem gerens dicitur is, qui vices alterius gerit, & ministrat, sed alterius vice, qui Vicarius si constituitur à lege, vel à superiore, dicitur ordinarius & ordinariam iurisdictionem habet.

At qui ordinarius eiusmodi habet propriam iurisdictionem, & iure suo etiam exequitur, cum delegatus nihil habeat proprij.

Ergo non est contrarium nomine alieno, atque adeo Imperatoris, aliquid exercere, & tamen aliquid suum habere. Hæc ratiocinatio, ac prope verba voti.

Ad quæ Resp. Quid Fiscus Archiepiscopo annuerit vel consenserit in processu, illa in re, Maximiniani incognitum esse, sed quidquid ab illo aut dictum sit, aut dici potuerit, illorum parui interest, ac si quid simile dictum sit, id verisimiliter dictum fuerit, quoad munus infeudandi, infeudationesque renouandi, ita scilicet, quod Archiepiscopus pro Vicario possit videri, ad inuestiturarum renouandarum factum.

De omnimoda autem Iurisdictione, siue quod Vicarius aut officialis sit, quoad omnimodam Iurisdictionem in Maximinianos exercendam, nec dictum esse verisimile est, nec si dictum esset) verum, quemadmodum infra demonstrabitur.

Sed quidquid dictum sit, ex hac ipsa assertione, quod Archiepiscopus Imperatoris sit Iurisdictionalis Vicarius, vicem gerens, officialisque ordinarius, quodque ordinaria, ut talis, Iurisdictionem exerceat, ex eo pariter conuincitur non minus, quam ex Præsidentis prætenso officio, quod Archiepiscopus nihil Iurisdictionis dominio habeat. Si quidem Officarij, aut Officiales, siue illos Vicarios, siue Præsides, siue vicem gerentes, aut quocunque alio nomine voces, nihil, ut antea tetigimus, de dominio habent, immo incompatible est esse Officarium & Dominum, uti esse dominum & seruum, dominum & procuratorem: relatiua enim illa sunt, quæ inter duo extrema diuersa necessariò versantur.

Imò, obijciat votum, Iurisdictione ab illis (ordinarijs scilicet officarijs) proprio iure exercetur, quæ itaque illis est propria.

Respondeo, exercetur: sed proprio Officij iure, non proprio Domini iure, officium siquidem quodammodo ipsis est proprium, virtute cuius Iurisdictionem administrant, sed illa, quoad dominium, non ipsorum est propria, sed dominorum.

Ac, ut ista clarius perspiciantur, respicienda est, primò differentia inter antiquæ Reipublicæ Romanæ ac huius modernique temporis, quoad ista, statum.

In vetere illâ Romanâ Republicâ, siue ab optimatibus, siue à populo, siue etiã

postmodum à Principibus rectâ ac Imperatâ, antequàm feuda, Iurisdictionum-
 que dominia introducta essent, Reipublicæ Magistratus Prouinciales, siue in
 Prouincias missi Proconsoles, Præsides: in Vrbe autem Consules, Prætores, Æ-
 diles, qui & annui erant, Iurisdictionem sanè proprio Iure exercebant, id est, vi
 potestateque sui Magistratus, qui à populo collatus, officij tempore, illis pro-
 prius erat, ex quo à delegatis, vel illis, quibus demandata erat Iurisdictione, distin-
 guebantur, quod hi Magistratum non haberent, neque per consequens, vi Ma-
 gistratus propriam vllam Iurisdictionem, sed mandantis Iurisdictione funge-
 rentur.

Illo autem tempore, de Iurisdictionis dominijs, directis siue vtilibus, aut de
 feudis, nulla erat neque existentia, neque cogitatio, sed existerat penes Rem-
 publicam, ac post Legem Regiam penes Augustum Successoresque Imperato-
 res supremæ istius potestatis Iurisdictionisque quasi proprietas, in qua Imperij
 Maiestas consistebat.

Sed postea, succedentibus temporibus Iurisdictionum feuda per totam Eu-
 ropam introducta fuerunt, vtile, ac directum dominium in his distinctum, ex
 rebus soli, Iurisdictioneque, dominia Iurisdictionalia composita Principibus,
 dominisque, per vtile dominium propria facta: vnde Vasalli effecti, Duces,
 Principes, Comites, Barones Castrorum Domini, qui ob illud vtile dominium
 Proprietarii, Domini que Iurisdictionis esse dicuntur, ac sunt.

Quam Iurisdictionem cum ipsi per se administrare commodè non possent,
 introductum est, vt Officiarios constituerent, à quibus Iurisdictionis executio
 perageretur.

Officiarii illi de Iurisdictionis feudorumque dominio nihil habent, vtili do-
 minio penes Vasallum vtilem dominum: directo autem, penes directum domi-
 num existente.

Sed Ius quoddam habent administrandæ exercendæque Iurisdictionis, in
 quo officium consistit, tanquam quid tertium, distinctum ac seperatum à Do-
 minio, siue vtili, siue directo, quod Ius ipsi officario certo modo proprium esse
 dicitur, adeò vt illi liceat intentare interdictum, vt possidentis ad conseruan-
 dum contra turbationem Ius possessorium ipsius officij: nullo autem modo in-
 tentare liceat idem interdictum, pro Iurisdictionis Dominiique iuribus, in qui-
 bus nihil habet. Carolus Loysacius in illo luculento Tractatu, quem nuper de
 officijs dominijsque edidit. *lib. 2. de offic. cap. 1. num. 30. & sequentibus, & alibi
 passim.*

Secundum quæ dici potest illo respectu, etiam nunc officarios siue officia-
 les, iure quodam proprio Iurisdictionem exercere.

Sed Ius illud, officij ius est, non dominijs, quasi propter proprietatem illam,
 quam in officio habere dicuntur, à dominio tamen penitus distinctum ac sepa-
 ratum.

Quod si ius illud officij ad proprietatem ipsam dominiumue Iurisdictionis
 referas, ita vt dicere velis officarium, Iurisdictionem sibi habere exercereue
 proprietatis, dominijsve iure, hoc sanè longè lateque erroneum fuerit. *Idem
 Loysacius eod. tract. de dominijs cap. 4. n. 7. & n. 13.*

Ac, vt ista vltèrius explicentur, notandi sunt diuersi Iurisdictionis gradus;
 Primo gradu stat existitque Iurisdictione illa suprema, vnita summæ illi potestati,
 in qua supremi status, siue Monarchici, siue Aristocratici, siue Democratici ma-
 iestas consistit, à qua Iurisdictione potestateque omnes alia Iurisdictiones potesta-
 tesque exeūt, vt radij à sole. *Car. Loysacius de dominijs c. 2. n. 2. & seq. Carol. Molinæus.*

Ab eadem illa supremâ Iurisdictione, proximè profluunt illæ primariæ subalternae Iurisdictiones, quæ maioribus ditionibus territorijsque illustra illa excellæque feuda componunt compinguntque, vnicam illam supremam Iurisdictionem suscipientes, tanquam ab illa immediatè excerptæ, per vtilis domini separationem, & in feudatarium Vasallumve transfusionem.

Tales sunt Imperii Principes, statusque illi, qui Principatus, Territoriaque sua immediatè ab Imperatore, sacroque Imperio habent ac tenent, nullis aliis intermediis Dominis interiectis. *Idem Loysacius eod. c. 1. n. 34. 35.*

Hi in suis Principatibus, territorijsque, alios inferiores, sibi que subiectos habent, etiam Iurisdictionum diuersarum Dominos, immo sub dignitatum Titulis Comitum, Baronum, Castellanorum, in quos suæ Iurisdictionis partes altero inferiore gradu subfeudorum Iure transtulerunt.

Illi omnes vi suæ proprietatis, Domini que sui Iure curias Iurisdictionales constitutas habent (vti ex vsu vbi que obseruato videre licet) in illisque officiales siue officarios, qui dominorum suorum respectiue proprietariam illam Iurisdictionem administrant, quisque relatiue proportionaliter que ad sui domini gradum, qualitatem, statum que, Princeps statusque supremus, vti vltimum supremum que Iurisdictionis gradum aut ressortum penes se proprietariè retinet, ita & consistorium suum habet supremum, quod & de suo corpore esse censetur, eiusque personam in suprema iudicatione representat.

Principes sub supremo Principe immediati sua habent subalterna consilia.

Mediati Domini siue subuassalli suas curias inferiores, alijs superioribus subordinatas.

Existis non dixeris curias illas officariosque illas exercentes, Dominium Iurisdictionis habere, sed Iurisdictionem exequi, etsi officia sua sibi habeant propria.

Sic suprema consistoria, quæ in iudicando ipsum Principem supremum representant, non habent Iurisdictionis supremæ dominium, sed illam exercent.

Sic & Treuirensis Archiepiscopi, Archiepiscopatusve Temporale consistorium, non habet Iurisdictionis Archiepiscopalis proprietatem, sed eiusdem exercitium.

Dominium istud Iurisdictionis, vt residet in persona Domini, dicitur potestas in proprietate, siue proprietas potestatis, officium autem Iurisdictionis, prout Iurisdictionis est in officario, dicitur potestas in exercitio siue potestatis exercitium. *Idem Car. Loysacius tract. de Dominijs cap. 1. n. 24.*

Quæ vt essentiâ qualitate ac naturâ penitus separantur, ita & effectus plane diuersos producant.

Dominium producit Domino ius, officarios pro administrandâ suâ Iurisdictione constituendi, Iurisdictionis commoda, emolumenta mulctarum, confiscationum, bonorum vacantium & similia, percipiendi. *Idem Loysacius de Dominijs, c. 4. n. 13. & c. 12. per totum.*

Officialis autem officialem non constituit, sed tantum (in casibus) delegatum, emolumenta illa non percipit, sed pro opera stipendium, quod ipsi à Domino ex arbitrio statuitur. *Idem Loysacius ibid. & tractat. de offic. libr. 1. cap. 8. per totum.*

Multò minùs collectas in subditos indicit, quod & ipsum, supremi Imperij Maiestatisque ius est, imò priuatiue ad ipsos Iurisdictionales Dominos, nisi quatenus Imperij Principibus ab Imperatoribus olim concessum est, vel ab illis alio titulo aut ratione acquisitum.

Quæ cum ita sint, patet Archiepiscopum, dum se pro administranda Iurisdictione Imperatoris esse ordinarium Officialem, vicem gerentem, Præsidentem siue Vicarium asserit, eo ipso Principatum Dominatumque erga Maximinianos à se Archiepiscopatuque suo excludere.

Ac sanè, si Archiepiscopatu comprehensa fuisset Maximiniana Abbatia, si in illam, vt in Archiepiscopatu, Dominij iure Iurisdictionem habuisset Archiepiscopus, quid opus fuisset se Iurisdictionalem Vicarium officialemque constituere?

Archiepiscopus se Archiepiscopatus Principem Dominicalem, siue Dominum Iurisdictionalem esse præterdit, Monasterij Maximiniani autem Vicarium, Ergo hoc ab illo diuersum, hoc non de illo, neque sub illo.

Archiepiscopus, ait votum, est Vicarius Imperatoris quoad Maximinianos, addit, Et habet Imperatoris potestatem Iurisdictionemque in illos. Id, si ita est (quod tamen neque est) ergo idem consistorium cum Imperatore constituet, eius personam in iudicando, cognoscendo repræsenterit. Cap. non putamus de consuetud. in 6. Rosenthal de feudis, cap. 5. conc. 5. numer. 7. cum alijs, quos citat. & DD. passim.

Atqui Archiepiscopus, vt Archiepiscopus, siue Archiepiscopatus iure, idem consistorium cum Imperatore non constituit.

Ergo Maximinianorum status ab Archiepiscopatus statu alius, ac distinctus est, ille huic non subditus.

Ex hoc itaque, quod Archiepiscopus se pro Imperatoris Iurisdictionali Vicario, quoad Maximinianos iacet, consequens est eum fateri illos in Archiepiscopatus principatu non comprehendi, neque ipsi subdi.

Sequitur item Archiepiscopum, Dominij substantiam, nomen, emolumenta, in Maximinianos præterdere non posse.

Ac sanè si ipsos Archiepiscopi Vicarios, Officialesque, Iurisdictionalesque consiliarios in exemplum proponamus, vel ipse Archiepiscopus negotium hoc pro Maximinianis decisurus sit, quid enim, An concessurus est illos suos Officiales se dicere posse sui Principatus Iurisdictionales esse Dominos, illos Dominicalis suæ Iurisdictionis rem, nomen, fructus, commoda, prouentus posse usurpare?

Quid? An eisdem admittet ius illud ad eò sublime, Dominicale, Regale, Vætigalia, contributiones, collectas subditis indicendi, vt illas ipsi sui Consiliarij Officiales sibi addicant, inferant? sub hoc exemplo Iudex sit vel ipse Archiepiscopus.

Imò & ipsum votum alibi istud ita dijudicat pag. 129. *vers. sed quia.* vbi formalibus verbis ponit contraria esse vicem gerere Imperatoris & rem possidere eaque vti.

Art. 7. Hallucinationes votatoris miræ circa eadem Iurisdictionalia Dominia Officiaque indicantur.

CÆterum in quas tricas confusionesque sese Votator circa illa miserè implicet, operæ pretium fuerit ad dijudicandum illius autoritatem hinc expendere.

Primò itaque asserit Imperij Principes, Duces, Comites, esse Officiarios Præsidesque.

Deinde per rationes quas subnectit, effectu constituit illos pro simplicibus delegatis, qui proprio iure nihil faciunt, sed omnia alieno.

Postea

Postea illos Dominos facit, & tamen ex eo quod Domini sint, infert eos Officiarios esse, atque etiam omnia alieno nomine facere.

Sed verba audiamus.

Quando, inquit votum, Duces, Comites, Barones recognoscant alium superiorem, tunc sunt loco Præsidis.

Addit, *Et sic alieno nomine Ducatus, Comitatus tenetur, Imperatoris scilicet, quidquid enim eiusmodi Principes possunt, faciunt autoritate Principis, qui illis hanc potestatem concessit.*

Confirmat his verbis: *Et quod Præses, nomine & vice Principis omnia (nota vocem) faciat & eius vice fungatur, est text. in l. sed licet. ff. de offic. Præsidis. hæc votum, num. 115. & seqq.*

Vnde primò, Imperii Principatus, feuda, Regalia, dignitates, Iurisdictiones, ad personalia officia, gubernationes, rectiones redigit; Annuitis Imperii Principes?

Hic, si illi creditis, utilis vestri Domini iure nihil, sed omnia, officiorum iure in ditionibus, Principatibusve vestris peragatis; immò & omnia nomine, autoritate, vice ac iure alterius, vestro nihil, nihil inquam vestro, non enim omnia essent alieno, si aliquid vestro.

Ergo (quod est consequens) simplices este delegati. *Jacob. Menoch. de arbit. iudic. lib. 1. quest. 12. n. 4. & de præsumpt. lib. 2. præf. 16 n. 4. 5. 6. 7. & 28. 31. l. etsi prætor. 3. ff. de offic. eius cui mandat est Iurisdictione. l. solet. ff. de iurisd. ipsum votum loco iam iam recitando.*

Sed paulò post aliud in voto recinitur, quod adverte, ita habet n. 120.

Ordinarius eiusmodi (de Officiario Præside vel vicem gerente loquens) habet propriam Iurisdictionem, & iure suo (etiamsi ab alio concessam) eam exequitur, cum delegatus nihil habeat proprij, hæc votum.

Hoc itaque in loco Officiarius habet propriam Iurisdictionem, quam proprio iure exequitur.

Illic, vel ipsi Domini, Principes, Duces, Comites omnia alieno nomine, iure, ac autoritate gerunt.

Immò omnia gerunt alieno nomine ob id ipsum, quia sunt Officiarii, quia sunt Præsides, si voto credimus: quamvis & si eidem credimus, Præsides, Officiarii proprio nomine Iurisdictionem gerunt.

Vide iterum reuolutionem, *Omnes Ducatus, (eius verba iterum ponimus) Comitatus & alia membra Imperij quoad utile Dominium sunt Principum, Comitum & Vasallorum. n. 113.*

Apertum sanè axioma, ex quo deducatur, Duces, Comites, fundatarios, omnia alieno nomine agere, exercere, exequi, atque etiam esse Præsides, veteris qualitatis, *sub Rubricâ de offic. Præs. comprehensæ, quorum tempore nec adhuc ipsum nomen feudi, feudatarij, Vasalli, non solum in aures, sed neque in mentem hominum venerat.*

Art. 8. Archiepiscopum nec Iurisdictionale Officium habere in Abbatem, neque concessionem illum infeudandi aliud, quam simplex mandatum importare.

ISTA de illis Officialibus, siue Officiarijs, aut Vicarijs, qui circa Iurisdictionis administrationem versantur dicta sint, qualem esse, excludit, esse Iurisdictionis Dominum.

Sed

Sed neque Iurisdictionis exercitium habuisse vnquam Archiepiscopos, officij iure, magis probare possis, quàm dominium siue vtile, siue directum.

Ac sanè vnde illam istius facti probationem elicias?

Immò in contrarium, quod officium simile Iurisdictionale nunquam habuerint Archiepiscopi verificatur per omnes illas rationes, documentaque hactenus deducta, quæ omnia, vt ad rejiciendum prætentum Archiepiscopale dominium, ita & ad refutandum Iurisdictionale Officium militant.

Vsus officij nullus, nulla vnquam cognitio, iudicatio, mandatorum edictio, executioque nulla, denique officiarj iudicialis nulla functio.

Dices, forsan ex concessâ inuestiendi facultate nouum aliquem similem Vicariatum, Iurisdictionisue officium constitutum esse, quod & votum comminisci videtur.

Verum constitui nec potuisse, nec posse tale officium contra Maximinianorum ius statumque, satis abundeque supra ostensum est, vteriusque infra ostendetur.

Sed neque de facto constitutum esse ex istis, quæ etiam supradicta fuerunt, colligitur, cum nihil aliud concessum sit, quam facultas inuestituras renouandi Imperatoris Imperijque nomine, idque omnium Iuribus libertatibusque saluis.

Quæ concessio, ne quidem officij titulum qualitatemque quoad istam eundem actum continet, sed in simplici ministerio facti pro Imperatore Imperioque gerendi consistit.

Ipsa prima facies textus literarum Imperialium ad Ottonem Abbatem, quæ eiusdem Imperatoris Diploma explicant, ac secundum quas factum regulari debet, quas habes N. 51. illud omnium oculis ingerit.

Indicat Imperator per illas, se permisisse & mandasse Ioanni Archiepiscopo & suis successoribus Archiepiscopis, vt Imperatoris mandantis & suorum successorum in Regno, atque ipsius Imperij nomine & à parte ipsorum, Abbatem & eius successores Abbates, de Abbatia Regalibus, feudis & temporalibus, quæ à sacro Imperio mouent ac tenentur, inuestiat.

Iubet vt Abbas Archiepiscopum accedat, & ab ipso eadem Regalia, feuda & temporalia ex parte Imperatoris ac sacri Imperij, in debitâ formâ accipiat, & illi in Imperatoris mandantis ac suorum Successorum nomine ac loco consuetum debitum & Iuramentum præstet, vti & Abbatis Successores præstare tenebuntur.

Quid clarius, quàm per illa nihil aliud constitui, quàm mandatum de inuestiturarum renouatione impertienda, illo modo quo de iure fit, vt per Procuratores siue mandatarios inuestituræ renouentur, factæque per illos, factæ esse censentur per ipsosmet Dominos?

Cauillis sanè aut ambagibus nullus potest esse locus, neque hæsitatio ingeri, vlli ingenio vel simplicis ac communis sensus lumine prædito, quidquid in vanum trahatur, vellicetur, torqueatur textus.

Sed *vtum ipse, vel alius pro te inuestituram faciat vel suscipiat, nihil interesse putamus: potest enim hoc negotium, & per procuratorem ab vtraque parte expediri, inquit textus in c. inuestitura. §. sed etiam tit. per quos fiat inuestit. in vsib. feud.*

Notanda verba, *vtum ipse, vel alius pro te, item per Procuratorem*, ita vt alius qui pro te facit, nihil sui, sed tu ipse tuum facere censearis, item quod pro alio facere & procuratorem esse in danda vel renouanda inuestitura pro synonymis habeantur.

Deinde

Deinde in quæstione illa iuris communis, quæ in casibus Iurisdictionalibus mouetur: An censeatur concessa esse Iurisdicção ordinaria vel delegata, signum præcipuum est, non ordinariam, sed delegatam esse datam, si mandantis nomine aut autoritate exequi demandetur, vt paulò antè probatum est. *Jacob. Menoch. de Arbit. Iudic. lib. 1. quæst. 12. n. 4. & de præsumptionibus lib. 2. præf. 16. nu. 4. 5. 6. 7. & 28. 31.*

Sed &, quod magis est, ipsum hoc infeudandi negotium non est subiectum aptum ad delegationem propriè sumptam, quæ circa publica versatur, sed præcisè conuenit Procuratoris functioni, quæ ad priuata applicatur, infeudandi enim factum non publicum est, sed priuatum, cum nihil aliud sit quam possessionis confirmatio ad Vassallorum Dominorumque mutationem ex particulari contractu feudi descendens, quod & priuatim, & per Procuratores priuatos peragi solitum est, vti & homagium siue fides, itidem priuatim iudicialiterque per Procuratores priuatos vicissim recipi. *Cap. Inuestituram. §. Sed vtrum ipse, tit. Per quos fiat inuestit. in fin. & cap. Vtrum. tit. quid præcedere debeat, & passim in vsib. feud.*

Officij functio publica est, inquit Car. Loysacius *lib. de dominijs cap. 1. nu. 75.* Feudi autem priuata, scilicet in bellis Domino assistendi, in cuius rei signum, officij iuramentum publicè præstatur, feudi autem fides priuatim redditur, atque etiam officij merces passim consistit in stipendijs è publico percipiendis, feudatarij autem merces in Rebus soli, quibus per suas proprias manus fruitur.

Deinde libro de Offic. 4. cap. 5. n. 39. ita habet: *Officiarius officium peragit pro se ac suo nomine, quasi sui officij proprietarius, delegatus autem illud exequitur vice ac nomine sui delegantis, quemadmodam Procurator sui Magistri nomine administrat: nam in summa id, quod est Procurator in facto priuato, hoc ipsum est delegatus in facto publico, hæc ille.*

At (obijcies ex voto) munus illud infeudandi datur in perpetuum successoribus Archiepiscopis, pro successoribus item Imperatoribus.

Vt sic datum sit (& quid, & quomodo datum sit, ex litteris ad Ottonem Abbatem scriptis dignosce) non ideò minùs consistet illa datio in mandati mandatarijue conditione, naturâ & munere.

Non enim est incompatible mandatum etiam pro Successoribus dari aut in Successores transire, remanente nihilominus simplicis mandati aut delegationis substantiâ.

Nam, exempli causa, cum alicui delegatio facta est sub nomine dignitatis, tunc in Successorem transit, & tamen non minùs est delegatio etiam ad nutum reuocabilis, in qua nihil iuris proprij habet delegatus. *Jacob. Menoch. de arbit. iud. quæst. 68. n. 21. in authent. vt nulli Iudic. & §. hoc iubemus.* Exercitium meri Imperij durat in Successorem Iudicem, etsi merum Imperium rescripto delegatum seu commissum erat, neque enim olim iure Magistratus competebat, sed tantum per demandationem siue delegationem. *l. i. ff. de Offic. eius cui mandat. est Iuris.*

Quod autem etiam pro Successoribus dari possit concessio, quæ nihilominus sit reuocabilis, ostendit Cap. Si gratiosè, de rescript. in 6. his verbis: *Secus autem, si vsque ad Apostolica sedis beneplacitum gratia concedatur prædicta: tunc enim, quia sedes ipsa non morietur, durabit perpetuo, nisi à Successoribus fuerit reuocata.*

Iudices à Præsede dati solent etiam in temporibus Successorum eius durare, ait Lex, Venditor 49. in fine. ff. de Iudicijs.

Cùm Lex simpliciter constituit aliquem Iudicem, & dubitatur, quam Iurisdictionis speciem tribuerit: an scilicet ordinariam vel delegatam, tunc quidem resoluitur à Doctoribus censi constitutam esse ordinariam Iurisdictionem, si in perpetuum sit. *Iacob. Menoch d. præf. 16. n. 14.*

Sed hîc non versamur in casu illo, quo Iudex simpliciter constitutus sit, aut Iurisdictionis aliqua simpliciter concessa, sed in illo, quo non Iurisdictionis, sed inuestiendi factum, non simpliciter, sed committentis nomine commissum est.

Quo sanè casu aliud planè resoluitur, vti videre est apud eundem Menoch. *ead. Præf. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 28. 29. 31. 32. & seqq. text. supr. à cit.*

Essentia contractus in suâ formâ consistit non in tempore, tempus non est modus faciendæ aut mutandæ obligationis; substantia rei attenditur, non circumstantiæ aut accidentia, cùm de illa apparet, ista non curantur. Substantia autem delegationis mandati Procuratorij consistit in agendo, faciendo, exequendo, nomine, iussu & autoritate delegantis, constituentis, mandantis, *l. 1. ff. de Procuratoribus, l. 1. l. 3. ff. de Offic. eius cui mandat. est iurisdic. l. non solum 39. §. qui alieno. l. qui proprio 46. l. is cuius 64. l. qui absentem 75. ff. de Procuratorib. & passim.*

Finem considerare oportet, non tempus, finis enim designat, qualis res censenda sit. *Gail. l. 2. obseru. 53. n. 7.*

Per clausulam de Successoribus effici potest, vt morte non finiatur istud mandatum, sed non ideo minus mandatum est.

Diuerſi alij casus existunt, quibus mandatum morte non finitur, sed ad Successores transit, quos casus vide latè congestos apud Cardin. Tuschum *verb. Mandatum con. 65.*

Dari procurator potest & in perpetuum, ait lex, & in perpetuum, 4. iuncta, *l. 1. in fine. ff. de procuratorib.*

Tandem, omnium instar fuerit ac sufficiet genuina agnitio & recognitio ipsorum Archiepiscoporum, quam præsertim perspice in actis Procuracionum ac inuestituræ à Ioanne Isenburgico Archiepiscopo, eodemque simul Abbatia Maximiniana Commendataria traditarum sub Numer. 56. & 57. in quibus videas passim eundem Archiepiscopum sese Commissarium pro inuestiando Abbate agnoscere ac nominare, siue, quod tanquam Commissarius Abbatem inuestiat Imperatoris seu Regis nomine & autoritate, de Iurisdictione, mero ac mixto Imperio Regalibus ac feudis, quæ ab Imperio Abbatem habere ac tenere asserit, Monasteriumque insigne S. R. Imperij membrum existere, item, quod fidem recipiat nomine & à parte, imò expressè ex mandato Imperatoris Maiestatis, item, quòd Abbas fidem seu Iuramentum præstet ac referat ad ipsam Imperatoriam Maiestatem Imperiumque, item quod ibidem notabilis sit expressa illa distinctio, quâ dicitur Abbas inuestiri, tanquam verus, naturalis, ordinarius & legitimus Dominus: Archiepiscopus autem inuestire, non tanquam Dominus, sed tanquam mandatarius ac Commissarius, nomine & ex parte Imperatoris; Quæ cum dilucidius ex ipso instrumentorum textu perspicui, quàm hîc referri queant, illuc consideraturum Lectorem remittimus.

Art. 9. Solum nudumq; inuestituras renouandi factum Archiepiscopo competere, amplius ostenditur.

SED age, præsupponamus contra, quod verum est, inuestiendi munus datum esse ad titulum officij, non per delegationem, siue mandatum aut Procuratorium, sed irreuocabiliter officij iure: quidnam erit Ius illud? nempe Ius officiumque erit inuestituras pro Imperatore ipsiusque nomine renouandi.

Quid in illo munere, in Archiepiscopi commodum comprehendi censeas?

An Iurisdictionem, merum mixtum Imperium, Ius, causas litelque iudicandi, cæteraque Iurisdictionis munia?

Sed inuestire, siue infæudationem aut inuestituram renouare ista minimè complectitur.

Inuestitura quid sit, norunt omnes. Inuestitura est possessionis traditio; altera proptia, cum corporaliter traditur possessio; altera abusiuæ, siue impropria, cum sine corporali apprehensione, per verba cum symbolo datur possessio.

Inuestitura quidem (inquit textus) propriè dicitur possessio, abusu autem modo dicitur inuestitura, quando hasta, vel aliud corporeum quidlibet porrigitur, à Domino feudi, se inuestituram facere, dicente. Cap. Inuestitura tit. quid sit inuestitura, in principio.

Idque cum primâ inuestiturâ traditur in noui feudi pactione, aut constitutione primæua.

Sed, cum iam feudum vetus est, & hætenus constitutum, traditumque, Infæudationes illæ aut inuestituræ quæ renouantur (vt hoc in casu) ne quidem possessionem tradunt, neque noui quidquam conferunt, sed tantum hætenus facta ac tradita confirmant, *Cap. Inuestit. in princip. tit per quos fiat inuestit. & ibi Gothof.*

Quæ renouatio ac confirmatio nec recusari potest, sed est in obligatione præcisâ ex vi contractus feudalis à principio initi.

Itaque inuestituram renouet Archiepiscopus, feudorum possessionem confirmet, ac quod subsequens est, Iurisiurandi renouationem suscipiat, eaque omnia pro Imperatore Domino; istis peractis, mandato, adde & si vis, officio functus est, nihil superest quod faciat, in hoc vno consistat ac quiescat necesse est, nec ultra est, quod tentet.

Quid enim? An feudorum dominiorumque redditus, fructus, emolumenta, multas, simileque Iurisdictionalis dominij prouentus ex inuestitione illa Archiepiscopo attribuas?

Vnde istud? quo Iure illa ad mandatarium? addo, & si vis, Vicarium Officiumue ad inuestituras renouandas constitutum pertineat?

Immò, an ad ipsos omnimouæ Iurisdictionis Officiales pertinebant?

Quantò minus ergo collectas imperio præstandas inde Archiepiscopo in eiusque commodum transferes?

An enim mandatum, adde & Officium, de reuocandis inuestituris Imperatorio nomine illud complectitur?

An collectas collectandiue Ius pro ipso Archiepiscopo in Abbatem Abbatiamue?

An & ius in Abbatia subditos indicendarum contributionum Archiepiscopo Archiepiscopatu iure inferendarum?

Si cui est subditis suis, aut etiam cuius alteri, immo & euidam est suis Officialibus aut Curia, perpetuum mandatum det Archiepiscopus, ut Vasallis Archiepiscopalibus inuecturas renouet, aut etiam ex antiquo usu nonnulli illius officiales, aut Curia, habeant officij iure facultatem inuecturas Vasallis renouandi pro Archiepiscopo; an, si illa omnia in Vasallos Vasallorumque subditos sibi vindicet, mandatarius ille siue Procurator Officialis, aut Curia patietur illud, aut annuet Archiepiscopus?

Vt ista ad ipsam partem, eiusdemque quod in se statuit, iuris exempla ferunt ac urgent, rationemque habent iuris non solum positivi, sed & naturalis ac expressè diuini: ita & illis libenter vtimur, neque post eadem ob oculos posita alijs ratiocinationibus autoritatibusue rem stabilire opus esse censemus.

Neque est, cur obijciatur comparationem omnem esse odiosam, fauorabilis enim est illa, quæ iustitiæ seruit tam sancto fini. Ardua quidem est Archiepiscopatus Electoratusque eminentia, culmina sunt dignitatum, quæ suspicimus ac reueremur, sed nobis in dignitate comparatio non est, bene in ratione, quæ ubique, cuique vna, eadem, æqua, libera, licita, nec ab ullo agrè audienda.

Art. 10. Agnoscit voti auctor contradictionem, quam malè conatur declinare.

AD istam lucem cogitur ipse voti auctor oculos aperire, istis violentis rationibus manus dare, etsi sese misere inuoluere ac intricare malit, quam propositum, quod malè assumpsit deserere, itaque rotundè agnoscit contradictionem implicare, Dominum esse, & alterius nomine infeudare.

Alioquin (inquit in §. nec hoc ei. pag. 102. de conciliandis Maximiliani I. circa infeudationem rescriptis loquens) *quis tam sit lippis oculis, qui non videat, si aliter capi debeant, aperte hæc verba sibi contrariari?*

Deinde & alibi addit in §. quia ergo. pag. 106. in hæc verba: *Quia ergo Imperatores: Maximilianus & Carolus, vno eodemque volumine, hoc ius inuectendi, cum alijs iuribus Archiepiscopo dederunt, in quo & vna, antiqua priuilegia omnia & singula non solum confirmarunt, sed de verbo ad verbum se nouo dant, certè non est dubium, nisi hæc distinctione hæc saluentur, quin contraria sint, &c.*

Itaque vel voto iudice contradictorium est Archiepiscopum Imperatoris nomine infeudare, & Archiepiscopum eorum, quæ sic infeudat, dominium habere.

Quam contradictionem vt conciliet, commenta ista inducit, Dominiorum vtilium, Vicariatuum, officiorum in ente rationis, quæ nec inducere potest, quin in eandem contradictionem, quam vitare contendit, incurrat, ita vt incidat in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Dominium (ait) *utile affingere oportet Archiepiscopis, ne censeantur Imperatores sibi contradixisse, qui concedentes Archiepiscopis infeudandi facultatem Imperatorum nomine, simul confirmarunt Archiepiscopis sua priuilegia præcedentia: quæ contradictionem vitare oportet omni interpretatione.*

At, cur sic validiùs non retorqueas, contradictionem vitare oportet omni interpretatione, itaque Dominium utile affingi non potest Archiepiscopis, ne censeantur illi sibi ipsi contradicere, qui ex eo ipso quod facultatem infeudan-

di Imperatorum nomine impetrârunt Dominium nullum se habere testati sunt?

In concessionibus contrarietatem euitare oportet, Ergo Imperatores dum concesserunt infeudare suo nomine, Dominij ius Archiepiscopo non agnouerunt, ne contraria dixisse censeantur.

Contradictionem euitare oportet, Ergo per Maximiliani I. Diploma nullum Archiepiscopo proprietatis ius datum aut confirmatum est, ne tot Principum concessionibus, titulis, contractibus, Rebus ipsis iudicatis, Maximinianorum ius asserentibus, Imperatorem contradixisse dicamus, immò ne sibi ipse idem Maximilianus contradixerit, qui eadem Maximinianorum iura ipsemet confirmauit, & innouauit, de Procerum consilio, ex certâ scientiâ & plenitudine potestatis, & quidem Treuiris, præsentem indubiè Archiepiscopo, & visis ac consideratis ipsis Maximinianis tot præclaris Diplomatis, Originalibus. lege Diploma eius sub N. 61.

Contradicens sibi ipsi pars, non est audienda; contraria dicit ac allegat Archiepiscopus; ergo non est audiendus.

Dicit enim se esse Dominum, & tamen infeudare alieno nomine, quod ipso voto teste contradictorium est.

Si error contigit in concessione ad partis narrationem aut postulationem facta, cur illum imputes concedenti, ac non narranti, postulanti ac impetranti, qui per subreptionem, palliationem, & obscuritatem concedentem circumuenit?

Cur non existimas contra talem impetrantem interpretationem faciendam, præsertim vt non lædatur ius Tertij, quin & impetrationem sibi ipsi contrariam, vti & cætera instrumenta sibi contrariâ ex seipsis cotruere ac per ipsam contrarietatem destrui?

Cur non & dicis, si Dominij aliquod ius, ista Archiepiscopi impetratio in Maximinianos completeretur, ius tertij læderet, itaque censendum non completi.

Ac sanè, si alteri parti alteram aurem referues, & æqua manu libres bilancem, mentem considerationemque ad Maximinianos, eorumque ius rationesque reflectendo, animaduertes commodam interpretationem ex Diplomatis illis Maximiliani I. Vnde quaque pro Maximinianis hauriri, facilem, iuri conformem, non contortam, non violentam, non Imperatoribus, sed Archiepiscopis contradicentem.

Dic age, vbi vel verbo de proprietate Abbatæ S. Maximini in Diplomatis Maximiliani I. habetur mentio? ne vmbra in eis reperies.

Bina libello inseruntur eiusdem Maximiliani Diplomata, Caroli V. nullum, etsi de eiusdem Imperatoris quodam Diplomate mentio fiat in libello; sed maluit scriptor non edere, itaque quid vtilitatis in illo inesse possit, vel ex hoc ipso collige, ac cum nec illud, nec alia cernantur, non est cur hæreamus in non entis nullis qualitatibus.

Primum itaque Maximiliani I. Diploma, quale in libello inscriptum est (neque enim ita inscriptum omnimodè conuenit istis, quæ in voto de eodem referuntur, in §. puto verba concessionis &c.) inter cætera Imperatori ab Archiepiscopo suggesta ac enarrata, confirmat etiam Archiepiscopo Aduocatas Monasteriorum, Prumiensis & S. Maximini.

De iure autem inuestiendi Abbatem S. Maximini nihil continet, sed tantum de inuestiendis Abbatibus Monasteriorum, Prumiensis & Epternacensis

loquitur, vt patet ex textu.

Confirmat autem prætenfam Aduocariam, de proprietate nihil dicit.

Altèrum vero eiusdem Imperatoris Maximilianì I. Diploma aliquot hebdomadum interuallo à primi impetratione distans, confirmatorium itidem est prætenfarum rerum Archiepiscopalium, illas vti & primum enumerat, de Aduocatia tamen Maximiniana mentionem nullam facit, Comitatus, districtus, Territoria, Oppida, Dominia, Castra, Villas Ecclesiæ Treuirensis, quæ Ioannes Archiepiscopus habet ac possidet, confirmat. interseritur hæc additio, *Iura, Regalia & feuda Abbati pro tempore Monasterij S. Maximini deinceps perpetuò conferendi. Subiungitur, Nec non Castra Droneck, Marchaque, de Talsanck, quod Castrum cum Marcha olim Syluestres Comites tenuerunt, ac modo Rheni Comes ab Ecclesia Treuirensi tenet vltèrius in feudum.* Adduntur immediata hæc verba: *Cum omnibus & singulis huiusmodi Comitatum, Dominiorum, omniumque & singulorum præmissorum districtibus &c.* Denique concludit hæc clausula, *nostris tamen & sacri Imperij ac aliorum quorumcunque iuribus & libertatibus in præmissis semper saluis.*

Dic age, ostendashic, vel hilum de Abbatia Dominio vel proprietate, de Maximinianorum iure libertateque ablatum esse, quibus omnia iura, libertasque, vti & aliorum quorumcunque expressa clausula, reseruata conseruataque sunt?

Confirmat, inquit votum, antiqua Archiepiscopi iura ac Priuilegia, atqui ista priuilegia probant Archiepiscopi in Abbatiam Dominium, ergo confirmat Archiepiscopi Dominium.

Cur non sic subsumas? Atqui antiqua ista priuilegia non probant Archiepiscopi in Abbatiam Dominium (testantur omnia in eam rem hæctenus deducta) Ergo non confirmat Archiepiscopi Dominium.

Quam res longè est petita; quantus circuitus, quæ vis illata!

Ecce Diploma istud (vt ad oculum patet) simplex est confirmatio turium ac priuilegiorum Archiepiscopalium, quæ in sua Ecclesia habet, eaque generalis, ac in forma ordinaria.

In illa votatori probum ac iustum videtur comminisci Dominiorum Maximinianorum donationes, assertiones, dispositiones (quæ nullibi, nisi in eius cerebro extant) in hoc vnice, vt emungere queat contradictionem aliquam contra ipsum Archiepiscopi proprium factum, res planè ingenio eius digna illique multo vsui.

Sed finge audacter, trahere, vellica, fac dixerit expressè Archiepiscopus proprietatem, Dominium, Iurisdictionem, ac quidquid voles, se habere istius Abbatia, Imperator etiam ad illam enarrationem illa omnia expressè confirmarit, quid tu tibi inde vis? nempe contrarietatem, & illam habeas, vti & erit quoad Archiepiscopum narrantem, & se dominum simul, ac inuestire non posse asserentem, sed quoad Imperatorem concedentem, haud dixeris, confirmat ille conditionaliter sub his conditionibus. Si illa habet ac possidet, si ius libertasque alterius non læditur, si supplicatio vera est. Itaque cum deficientibus conditionibus deficiat & dispositio, consequens est nullam existere Confirmationem, quæ facultati infeudandi quoad Imperatorem obstat.

Ista dicta sint, sub illa hypothesi (si expressè Imperator confirmasset Archiepiscopo aliquam proprietatem) à quo tamen tantum abest, quantum oriens ab occidente.

Sed operæ pretium fuerit etiam expendere alias torsiones, quas Votator

textui apertè infert. Hanc clausulam, *cum omnibus & singulis huiusmodi Comitatum districtibus &c.* refert ad facultatem inuestiendi de Regalibus feudisque Maximinianis, quod si ita est, referte debet cum iisdem qualitibus, eo modo scilicet, vt facultas sit inuestiendi de Regalibus cum omnibus districtibus aut dependentijs, ita vt tam districtus ac dependentiæ simul cum Principalibus feudis Regalibusque Maximinianis Imperij Imperatorisque nomine infeudentur, & tamen somniat voti auctor, quod per illam relationem *cum omnibus &c.* alia noua facta sit dispositio accessoria, à Principali planè absõna, per quam districtus, dominia ac annexa omnia Abbatia Maximiniana Archiepiscopo donata sint.

Sed & incongruenter eandem clausulam ad facultatem infeudandi Maximinianos applicat ac refert, cum ad Comitatus, districtus, dominia Treuirensis Ecclesie referatur, quemadmodum ipse textus, ordo & orationis constructio, verborum clausularumque significatio docent, & cuius legenti ad oculum patescit.

Vt redeamus & hunc articulum claudamus, ac simul vt rem ipsam, propositum item Archiepiscopi in illa infeudandi impetratione patefaciamus, vidit ille confirmationes istas præsentis proprietatis cassas, irritas ac inanes sibi esse, Statu Monasterij ab omnibus retro sæculis contrario, sibi resistente, alium aditum sibi meditatus est illâ nouâ viâ infeudandi inuestituræ renouandi, sed cum animaduerneret rem nouam esse ac insolitam, inuestituræque receptionem absque Maximinianorum interuentione factoque expediri non posse, quos utique præuidebat nunquam pro iure suo, ab eo inuestituras recepturos, si illas suo nomine ac authoritate, ac tanquam de proprijs feudis, tradere attentaret, vt illis scrupulum illum occasionemque inuestituram recusandi tolleret, concessionem ab Imperatore accepit, qua declaratum est infeudationem istam de feudis Imperialibus, atque etiam nomine Imperatoris fieri, ex quo sanè nihil pristino rerum statui immutatum fuit, ipse Imperator ius proprium retinuit, Maximiniani item suum, Archiepiscopus sibi nihil addidit, nisi illud facti ministerium, quod inuestiendi præstatur; ex quo spes forsân illi supererat sese in Monasterium istâ viâ sensim immittendi, ac paulatim & imperceptibiliter mutatis rebus introducendi, quemadmodum ipsa iuramenti mutatio postea subsecuta, & nunquam satis declamanda ac reprobanda testatur.

Ecce tibi explicationem in veritate in ipsis documentis, iure rationeque fundatissimam, candidam, simplicem, rectam, non Imperatoribus contradictoriam, sed Archiepiscopi euerforiam.

Art. II. Exempla Prumiensis & Epternacensis Monasteriorum, votatori plus nocere, quàm prodesse.

Aptum ad istam intentionem prodendam exemplum profert voti auctor, Prumiensis & Epternacensis Monasteriorum, ne minus idoneam à natura & effectu copulæ ratiocinationem, vnde argumentum à simili deducit ab illis ad Maximinianam Abbatiam.

Ex qua & istud assumemus, quòd cum eadem Monasteria Prumiense & Epternacense Imperialia fuerint, nec Archiepiscopo Archiepiscopatu iue subiecta, ita neque fuerit Maximinianum.

Cæterum, quod ad Epternacense Monasterium attinet, nec adhuc hoc tempore Archiepiscoporum potestati in temporalibus subditum existit, quidquid ex prætenſis ſuis impetrationibus præ ſe ferant.

Prumiense autem, caſum ſanè tulit ſuo maximo malo, inter temporum conſuſionem, calamitateſque, aulae Archiepſcopi adiectum; in eaque quodammodo extinctum, magno religioſi ordinis detrimento, iure an iniuriâ, ſub iudice liſ hæreat; neque penitus in aliorum iura inquirendi curioſitas tangit Maximinianos, vti neque ſcriptor Diplomata circa eadem Monasteria edidit, audimus tamen prætenſiones in contrarium exiſtere, atque etiam perſecutiones, eſſi dormientes non tamen penitus extinctas, quas & ſuis temporibus excitari forſan contingeret.

Atque hoc pro ſuo iure dicere poſſunt Maximiniani: quòd ſi Archiepſcopi circa idem Prumiense Monasterium alijs titulis rationibuſque nixi non ſint, quàm Diplomate Maximiliani I. in libello ſub Z. n. r. inſerto, aut ſimilibus; ſi que (quòd ipſum votum indicat) ſub prætextu inueſtiendi, nomine Imperatoris ingreſſum in illud arripuerint, nec rationes meliores obtendant, quàm illas quibus Maximinianam Abbatiam ambiunt ac infectantur, iuſtitiae, rationi æquitatiſque magis conſentaneum fore, ſi & à Prumiensi illo Monasterio penitus abſiſterent.

At quidquid ſit, iure meritoque talibus exemplis mouentur, mouenturque Maximiniani, vt ſerò ſibi inuigilent, ſe ſuaque acuratè tueantur, prouideantque, ne ſub talibus prætextibus intentio ſimilis in eorum libertatem, bona, fortunæ irrepant; in tempore occurrant, opponant, propulſent, in quo ſe, tam aperto iure, ratione ac iuſtitia nixos, Imperatorie potestatis ac æquitatis ſimul, ac ſui magni optimi Protectoris auxilium ſemper experturos, nec ab eiſdem vnquam deſerendos eſſe confidunt.

Art. 12. Leuis quædam voti obiectiuncula refellitur ac ſimul retorquetur.

VT voti auctor probet Archiepſcopo plus conſeſſum eſſe, quàm inueſtiendi factum, ita obijcit, *ſi*, inquit, *Archiepſcopus nihil aliud haberet niſi ius inueſtiendi, noceret ei hoc priuilegium Maximiliani I. & onus illi eſſet potiùs, quàm priuilegium, cum tamen pro beneficio, non pro onere hoc ei datum ſit. Atqui beneficia Principum latiffimè ſunt interpretanda in fauorem beneficiati, Ergo &c.*

At, nunquid vice verſa validius ſic rependamus? Si Archiepſcopus aliud haberet, quàm ius inueſtiendi, noceret Maximiniani hoc priuilegium, cum tamen ei nocere non potuerit, neque pro onere hoc ei dari, vt à mandataro inueſtiantur, neque etiam de facto pro onere datum ſed pro beneficio, vt difficultatibus ſumptibuſque in Imperatoriam aulam pro renouandis inueſtituris excurrendi eximerentur, neque enim in fauorem procuratoris, ſed in fauorem inueſtitorum conceditur, vt per Procuratorem inueſtituram ſuſcipiant, Ergo ſi beneficia ſunt interpretanda in fauorem beneficiati, interpretanda eſt illa conſeſſio, vt Maximiniani non noceat.

Deinde, vbi verba clara ſunt, non eſt locus coniecturis: verba autem clara ſunt, quòd inſeudandi factum ſolum demandatum ſit, fruſtra ergo ad coniecturas abis.

totius Germaniæ ac penè occidentis antiquissimum, multis Prælati in Sanctorum numerum relatis clarum, Imperatorum, Regum ac Principum fundatione, donationibus, tractatibus, sanctionibus, Authoritatibus stabilitum, proprio ac peculiari officii ac muneris titulo in Imperio insignitum, vt hætenus suis locis particularius deductum est.

Art. 3. Dum voti auctor aliud simile effugium molitur, in contradictiones impingit.

FAtetur auctor voti luce clarius constare Abbatiam Maximinianam privilegium habere, ne cui in perpetuum subit, nisi solis Imperatoribus & Regibus Romanis: ita enim loquitur: *Huic accedit, quod ex exemplis privilegiorum ab Abbate productorum, & ab Imperatoribus confirmatorum luce clarius constat datum Monasterio privilegium, ne cui in perpetuum subit, nisi solis Imperatoribus & Regibus Romanis hæc votum.*

Rês clara est, & patet dispositionis manifestæ sensus; & tamen euitabit voti auctor si possit lucis meridianæ diem, & subtili ingenio noctem soli offundet, passus hîc pressus est, vrget, effugiet tamen, hæc nempe orbita.

Non est, inquit, sub alterius potestate, qui est sub potestate Vicarij Imperatoris, qui ipsius est loco, ita vt Abbas dicere possit: sum sub Imperatore, sed Archiepiscopus est mihi locus eius; ingeniosa inuentio!

Itaque si potestas Vicarij non est alterius, quàm Imperatoris potestas, Ergo potestas Vicarij, non est Archiepiscopi potestas, quia Archiepiscopus alius est ab Imperatore.

Item si Monasterium subesset Archiepiscopo, vt Archiepiscopo, siue Archiepiscopatus Iuri, subesset alteri quàm Imperatori, Ergo non subest Archiepiscopo, cum subesse non possit alteri quàm Imperatori.

Item, Imperatoris Vicarius potestate (vt dicit votum) idem est quod Imperator, sed Archiepiscopus quàm Archiepiscopus non est idem potestate quod Imperator, Ergo Archiepiscopus quàm Archiepiscopus non est Imperatoris Vicarius: Itaque vt talis, non habet potestatem in Monasterium.

Quid cuniculos inuestigas? Quid te torques vellicando, trahendo, inferendo, conijciendo, diuinando? Quid de feudis, subfeudis, de dominijs vtilibus, de Vicariatibus, vicem gerentibus, præidentijs chimæras aut hippocentauros compingis? volita pro libitu per vacuum illud ac inane fictionum, teneris isto fune, per quem volens nolens retraheris ad hunc inuitabilem scopum, quod alterius potestati subdi non debeant, nec possint Maximiniani.

Ergo neque per Vicariatus officijue vllius impetrationem, neque per feudalis vllius Iuris translationem, neque per vllius Imperij Iurisdictionisue traditionem, neque vilo alio pacto, modo, aut medio effici potest, vt Archiepiscoporum potestati subiiciantur: cum, siue hoc, siue illo modo subiiciantur, verum esset quod alterius, quam Imperatorum potestati subderentur, contra eorum ius illud iustitiamque manifestam.

Ac sanè cum effugium illud in voto adinuentum perpendimus, admirari contingit, quid non in humanas mentes irrepit.

Voti propositum ac intentio est, in toto suo discursu tueri ac stabilire Maximinianos esse sub alio, quam Imperatore, nempe sub Ecclesia Archiepiscopoque Treuirensi, ad hoc, ecce medium; Non est, inquit, sub alterius quàm Imperatore

Sed & quamuis regulare sit (vt ipsis Alexandri verbis vtar) *Quod priuilegium Principis sit latissimè interpretandum, præsertim contra ipsum concedentem, non tamen debet taliter interpretari, quod recedatur à verbis ipsius priuilegij, aut quod per ipsum ledatur eius Tertij; imò verba ipsa, si opus est, impropriari debent, vt minus Tertius ledatur.* ita Alexand. lib. 7. cons. 215. n. 4. & DD. passim. Gothef. ad l. beneficium 3. ff. de constit. Princip. l. 2. §. si quis à principe. ff. ne quid in loco public.

Vnde sequitur, quòd cum interpretatio illa, quæ pro Archiepiscopis ingeritur, sit non solum extra, sed & contra priuilegij verba, Tertijque, maximam læsionem inferat, reijcienda planè sit ac refutanda.

Commodum vel onus habeant Archiepiscopi; de eo non inquirunt Maximiniani, neque est cur sint solliciti, isti illud voluerunt, quæsierunt, forsan non optimo fine, illud habeant, sed nullo Monasterij detrimento.

Neque de cætero nouum est, gratis multa suscipi, omne mandatum sui natura est gratuitum, & contra illius naturam, si commodum vel merces interueniat.

Sed & decorum est, ab Imperatoria Maiestate mandatum suscipere, exequi: honestum præcipuè quæritur à Viris illustribus, quod eo maius est, quò minus habet admixtum de vtili, illo potiri non minima merces est, & tamen adhuc illa merces recipitur, quæ ab Abbatibus pro infeudationis opera honorarij vice ministris rependitur, nempe --- flor. aurei, quod & ipsum aliquid est.

S. III. Ex alio præterea capite, scilicet quòd Maximiniana Abbatia sit Imperij insigne membrum, ac, quod illam talem esse asserant, tam Archiepiscopi, quàm voti auctor; probatur, quod eadem Abbatia sit Status Imperij per se consistens, non in Archiepiscopatu inuolutus, comprehensus aut confusus, neque consequenter Archiepiscopatu Archiepiscopo subditus, Quodque insulse voti auctor de mediato aut subalterno Imperij membro comminiscatur.

Insigne est Imperij membrum Abbatia Maximiniana: ita testantur Imperatorum Diplomata, ipsi Archiepiscopi agnoscunt, ipse etiam voti auctor.

Art. 1. Ex ratione Membri Imperij ostenditur, quòd Abbatia S. Maximini malè dicatur alteri statui subesse.

Quid sit Imperium, nomen istud iuris excelsum, vt & quilibet alius supremus status, nõrunt omnes, atq; adeò quid sit esse eiusdem Imperij membrum, siue esse partem statum illum Imperij integram, aut de eodem statu participantem. Dubio procul agnosces membrum id esse quod per se, ac ex se suisque quodammodo ac proprijs neruis & articulis ad Imperii Corporis compositionem concurrat, & sese quodammodo confert.

Esto, inquit votum, at manere potest insigne Imperij membrum habens tamen officarium, Præsidem, Vicarium perpetuum.

Exempla profert, imò (ait) *Archiepiscopus Treuirensis aut Coloniensis, nonne membra Imperij sunt? Et tamen habent suos Principes, qui loco Præsidis, ut dixi, sunt, quibus loco Principis paretur.*

Bene est, quod de Archiepiscopi Præsidentia ais, illud est, quod dudum audire optârunt Treuirenses ciues. Istud pertransennam.

Addit & illud exemplum in hæc verba, *Quid ergo dicemas de Hagenoâ Landte; vogtey.*

Subiungit, *idem de Prumiensi & Epternacensi Monasterijs?*

Rectè; & tibi acclamamus, immò & superaddimus non esse vllum Imperij membrum, quod non habeat suum, aut Præsidentem, aut Principem; Bohemia Regnum suum Regem habet, Saxonie Ducatus suum Ducem, Brandenburgensis Marchionatus suum Marchionem, Moguntinensis Archiepiscopus suum Archiepiscopum, Spirensis Episcopus suum Episcopum; Abbatia; Fuldenfis, Siburgensis & Imperiales alia suum Abbatem; Vrbes denique quazuis Imperiales, aut Consules, aut alios Officiarios.

Subnectimus; & ipsa S. Maximini, suum habet caput Abbatem.

Quid autem inde referes? hancne conclusionem: Ergo potest esse aliquod membrum Imperij, & tamen alteri membro subijci? Ergo potest Abbatia Maximiniana esse membrum Imperij, & tamen esse in ditione & subditiōe Archiepiscopatus siue Treuirensis membri?

Sed age: ex istis omnibus Imperij membris, quæ suos habent, aut Principes, aut Officiarios; nomina vel vnum, quod subit alteri membro, & tamen sit ac dicatur Imperij membrum?

Epternacense ac Prumiense allegabis; de istis paullum ante tetigimus, & vide, quo iure illa sint, aut habeas; sed hætenus cum Imperij erant membra, suberantne Archiepiscopatu Treuirensi? Et an erant membra ab vllō dependentia, nisi immediatè ab Imperio? Vis nunc illa esse suppressa? Vis eadem Archiepiscopatu esse vnita, annexa ac subiecta? simul & tollas immediationem necesse est, ac desinant esse Imperij membra, fiantque Archiepiscopatus pars & accessio.

Illud est, quod dicitur, quod res vnita desinit esse, & transsubstantiatur in naturam eius, cui vnitur, ideoque beneficium vnitum desinit mediante vnione esse beneficium, quod beneficium vnitum conuertitur in naturam eius, cui fit vnio & accrescit; Quod vnio beneficij est extinctiua tituli, tollens omnia vincula sicut mors omnia soluens; Quod vnitum beneficium post vnionem dicitur duntaxat prædium illius cui fit vnio, nec non efficitur seruus illius beneficij, cui vnitur. de quib. vide Hieron. Gonzalez *ad regul. 8. Cancellariæ gl. 5. § 7.*

Quod si dicas statuum vnionem non fieri, sed tantum eidem personæ duos status subijci: consequenter fatearis etiam necesse est alterum statum, alteri nõ subijci, vtrumq; sua iura, priuilegia & statuta retinere, alterum alterius onera non ferre. *Idem Gonzalez ead. gl. 5. § 7. n. 29. 112. 113. & seqq.*

Exemplum habes in ipso moderno Eminentissimo Treuirensi Archiepiscopo, qui Archiepiscopus est, & simul Spirensis Episcopus, vtrique ditioni præest, vtramque moderatur & tamen vtraque membrum remanet distinctum ac separatum Imperij, vtraque suas leges, statuta, priuilegia retinet, onera vnus non subeuntur ab alterâ.

Exemplum etiam visum fuit hætenus in hac ipsâ Maximinianâ Abbatia, cum Ioannes Isenburgicus simul & Archiepiscopus fuit, & Abbas per Commendâ.

Qui adeo sollicitè vtrumque statum distinctum habuit, vt seipsum tanquam

Abba

Abbatem, à seipſo tanquam Archiepiſcopo, diſtinctè per Procuratores à ſe conſtitutos de feudis Regalibuſque Maximiniani Imperatoris nomine inueſtiri curauerit, qua de re extant acta ſignata ſub Num. 56.

Ex quo probatur eorundem ſtatuum diſtinctio, ac quod alter in altero non comprehendatur aut ſubiiciatur, neque quod alter ſit alterius membrum vel prædium, ſed hoc non minus, quàm iſtud in ſua membri Imperialiſ natura, qualitate ac ſubſtantia conſiſtens.

*Art. 2. Figmentum votatoris de membris ſubalternis
exploditur.*

EX dictis pariter reſellitur illud, non minus inſipidè in eodem voto quaſitum eſtugium, quod quidem membrum Imperij ſit, ſed ſubalternum aut mediatum, ex quo in effectu ſequeretur, quemlibet Archiepiſcopatus ſubditum ac incolam, quodlibet caſtrum, prædium, curiam, villam, membrum eſſe Imperii, quo nihil dici poteſt in ſultius.

Et abſonum eſt, non ſolum ab Imperij ſtylo, in quo ægrè reperies de mediatis, quod ais, membris, ſermonem vel ſcripturam exiſtere, aut ſubiectam aliquam alicuius ſtatus particulam nomine Imperij membri præſertim cum epitheto *Inſignis* appellari. Idque minus in Imperatorum Imperijque conſtitutionibus, Diplomatiſ ac placitiſ, vel in Principum Imperij inter ſe tractatiſ aut negotiſ, quibus perſonarum ditionum, ordinumve ſtatuum, qualitatem, diſtinctionem indicare ac exprimere intendunt, in quibus ſanè, ſi vllibi, vſquam, verba iſta in propriiſſimo ſignificatu circumſpectè vſurpantur.

Sed & ab omni ratione ſiue naturali, ſiue Ciuili, aut politicâ id alienum eſt.

Si quidem, vt in naturali corpore, ita & in politico, non omniſ particula corporiſ dicitur membrum, ſed illud, per quod diuerſo & proprio officio corpus mouetur aut iuuatur, vt oculo ad viſum, pedibus ad progreſſum, auribus ad auditum, manibus ad palpatum, naribus ad odoratum, lingua ad ſermonem. *Didac. Couar. relect. Clement. ſi ſurioſus de homicid. part. 3. de delinquentibus ignoranter num. 8.*

Membrum corporiſ particula eſt, quæ circumſcriptionem habet propriam, nec omnino alijs coniuncta eſt. *Idem ibid.*

Membra omnia diſtinctam operationem habent. *Ibid.*

Ideo non eſt membri abſciſſio, cum auricula abſcinditur, quia illa cartilago quæ circa aurem eſt, dicitur potiùs ad ornatum & tutelam auris (quæ membrum eſt) quàm ad particulare corporiſ obſequium pertinet. *Idem ibid.*

Pariterque, non eſt membri abſciſſio, cum digitus abſcinditur, quia digitus membrum non eſt, *ibid.* cum ijs, quos paſſim citat, Ariſtotele, Galenò, S. Paulo, Bart. Bald. *Idem ait Iulius Clar. ſentent. lib. 5. §. final. quæſt. 69. verſicul. item quæro. Card. Tuſchus verb. membrum, concl. 185.*

Reſpice Diploma Maximiliani I. in libello inſertum lit. Z. n. 2. notatum, in illo non aliter vocatur Eccleſia Treuirenſiſ, quàm *inſigne Imperij membrum*, eodem modo, quo Maximinianum Monafterium nominatur.

Digniora quidem alia alijs ſunt, vt & in corpore humano, ſed tamen omnia ſunt membra ad compoſitionem Imperij per ſe ac proprio quodammodo, pondere & iure concurrentia.

Sed neque ignobile ſunt membrum, Maximiniani, nec fruſtra, *Inſignis*, epitheto decorantur, illuſtre ſanè eſt ac Venerandum in Imperio Cænobium,

totius Germaniæ ac penè occidentis antiquissimum, multis Prælati in Sanctorum numerum relatis clarum, Imperatorum, Regum ac Principum fundatione, donationibus, tractatibus, sanctionibus, Authoritatibus stabilitum, proprio ac peculiari officii ac muneris titulo in Imperio insignitum, vt hæcenus suis locis particularius deductum est.

*Art. 3. Dum voti auctor aliud simile effugium molitur,
in contradictiones impingit.*

FAtetur auctor voti luce clarius constare Abbatiam Maximinianam privilegium habere, ne cui in perpetuum subit, nisi solis Imperatoribus & Regibus Romanis: ita enim loquitur: *Huic accedit, quod ex exemplis privilegiorum ab Abbate productorum, & ab Imperatoribus confirmatorum luce clarius constat datum Monasterio privilegium, ne cui in perpetuum subit, nisi solis Imperatoribus & Regibus Romanis hæc votum.*

Rês clara est, & patet dispositionis manifestæ sensus; & tamen euitabit voti auctor si possit lucis meridianæ diem, & subtili ingenio noctem soli offundet, passus hîc pressus est, vrget, effugiet tamen, hæc nempe orbita.

Non est, inquit, sub alterius potestate, qui est sub potestate Vicarij Imperatoris, qui ipsius est loco, ita vt Abbas dicere possit: sum sub Imperatore, sed Archiepiscopus est mihi locus eius; ingeniosa inuentio!

Itaque si potestas Vicarij non est alterius, quàm Imperatoris potestas, Ergo potestas Vicarij, non est Archiepiscopi potestas, quia Archiepiscopus alius est ab Imperatore.

Item si Monasterium subesset Archiepiscopo, vt Archiepiscopo, siue Archiepiscopatus Iuri, subesset alteri quàm Imperatori, Ergo non subest Archiepiscopo, cum subesse non possit alteri quàm Imperatori.

Item, Imperatoris Vicarius potestate (vt dicit votum) idem est quod Imperator, sed Archiepiscopus quàm Archiepiscopus non est idem potestate quod Imperator, Ergo Archiepiscopus quàm Archiepiscopus non est Imperatoris Vicarius: Itaque vt talis, non habet potestatem in Monasterium.

Quid cuniculos inuestigas? Quid te torques vellicando, trahendo, inferendo, conijciendo, diuinando? Quid de feudis, subfeudis, de dominijs vtilibus, de Vicariatibus, vicem gerentibus, præidentijs chimæras aut hippocentauros compingis? volita pro libitu per vacuum illud ac inane fictionum, teneris isto fune, per quem volens nolens retraheris ad hunc inuitabilem scopum, quod alterius potestati subdi non debeant, nec possint Maximiniani.

Ergo neque per Vicariatus officijue vllius impetrationem, neque per feudalis vllius Iuris translationem, neque per vllius Imperij Iurisdictionisue traditionem, neque vilo alio pacto, modo, aut medio effici potest, vt Archiepiscoporum potestati subiiciantur: cum, siue hoc, siue illo modo subiiciantur, verum esset quod alterius, quam Imperatorum potestati subderentur, contra eorum ius illud iustitiamque manifestam.

Ac sanè cum effugium illud in voto adinuentum perpendimus, admirari contingit, quid non in humanas mentes irrepit.

Voti propositum ac intentio est, in toto suo discursu tueri ac stabilire Maximinianos esse sub alio, quam Imperatore, nempe sub Ecclesia Archiepiscopo-que Treuirensi, ad hoc, ecce medium; Non est, inquit, sub alterius quàm Impe-

ratoris potestate qui est sub potestate Vicarii Imperatoris: Atqui Archiepiscopus Vicarius est Imperatoris, Ergo dum sunt sub Archiepiscopo, non sunt sub alio quàm sub Imperatore, id est, sunt sub Archiepiscopo, & non sunt sub Archiepiscopo, sunt sub alio, etsi non sint sub alio.

Errores sunt, in quos nonnunquam labi contingit viros cæterùm graues ac doctos atque etiam bonos, vel ex illa ingenita sui propositi tuendi cupiditate, quæ cuncta mouet vt ad suum intentum pertingat, quæ & oculos mentemque remouet ab illis, quæ ex aduerso meliori solidiorique fundamento disceptarentur, vel ex ipsius naturæ humanæ conditione, subiectione ac infirmitate, de qua in seipso Vir quispiam inter nostri sæculi sapientes è primariis, *cum homo sim, ait, errare me scio non solum posse, sed & debere.*

Bonæ autem mentis est, indicatum errorem agnoscere ab agnitoque discedere, ac quod idem ille monet: *fateri bonum esse à veritate vinci.*

Præstaret id (confidimus) ipse voti auctor si superesset (nisi tu ille ipse fis scriptor, saltem in quibusdam si non in omnibus) ac quilibet sincerus lector ita censebit.

S. IV. Quod voti scriptor friuolè ac partialiter arguat Subreptionis priuilegia Maximiniana.

Priuilegia Maximinianorum luce clariora esse alibi asseruit votum, alibi subreptitia dicit, in hæc verba: *Itaque dicendum est Priuilegia Maximiniana subreptitia esse; rationem subiungit; Quia, inquit, Friderici Barbarosse priuilegium de Abbatis præsentia restatur, & ob id debuisset de eo protestari.*

Art. I. Ratio voti auctoris friuola ostenditur, & in Archiepiscopum retorquetur.

Potens fuerit præsentia istius præsentia vitium, si contagionem destructiuam in tot tantaque Diplomata longè anteriora ingerat.

Nunquid & illa præsentia testatio subreptitiam reddet Ottonis Magni anteriorem illam sententiam, quæ, causæ cognitione plane habitâ, ipso Archiepiscopo audito ac præsentem, pro Maximinianorum lure adeò solemniter lata fuit?

Et an Dagoberti Regis Decretum, tam seriâ inquisitione prolatum, totis sæculis Fridericianum illud antecedens?

Iudex haberi vult voti auctor, & se pro tali gerit: at mirum est, cum tam perspicaciter subreptionem videat ac notet erga Maximiniana Diplomata, ipse de Archiepiscopalis nihil.

Quamuis, qualia illa sint, in sub: & obreptionis puncto, cuius primo intuitu pateat ad oculos, & ex alibi dictis ac depositis facile dignoscitur.

Ac quantum ad præsentiam attinet, si illa ad subreptionem colligendam consideratione digna, quid dicit voti auctor circa illam eandem Ottonis M. sententiam, in qua Archiepiscopus non solum præsens, sed & tanquam pars condemnatus fuit, ac non solum de illâ protestatus non est, sed & à protestatione, immò ab omni contradictione, iure, ac iustitia exclusus fuit?

Deinde respice Diploma Numer. 26. notatum ab Imperatore Henrico IV.

ad ipsius Archiepiscopi Treurenensis instantiam Maximiniani concessum; ibi reperies Archiepiscopum non solum præsentem, ac non protestantem fuisse, sed & postulantem, siue intercedentem.

Considera etiam tot alia, agente vel præsentem Archiepiscopo, concessa, ut, quod est sub Num. 30.

Et cur non, & ob illam eandem causam Archiepiscopalem Impetrationum subreptionem arguis?

*Art. 2. Quòd ineptè etiam inferat Abbatem Abbatia statui,
Iuribusque renunciassè ob præsentem illam in Fridericiano præsentiam, quod & magis de Archiepiscopo dicere oporteret.*

Sed & aliud subnectit votum; *At, inquit, ei priora priuilegia non videntur prodesse, quia renunciassè per hoc (per testationem scilicet de præsentia in Fridericiano) apparet.*

Valuerunt ergo priora priuilegia, sed Abbatis renunciatione ab illis deinceps excluditur Monasterium.

Renunciationem, & illa mediante, sublationem tantorum Monasterij iurium facillè inducis, quam pro Archiepiscopo tanta disputatione antea pernegasti.

Verbo isto multa deciduntur, quæ à bonis iudicijs nihilominus examinanda supersunt.

De Fridericiano illo Diplomate hætenus plus satis dicta sunt, uti & de præsentem illo Sigenero, non quidem Abbate vero, sed intruso ac supposito, immò neque idem Diploma signante, sed tantum inter cæteros ac alios multos ad actum indifferentes tanquam teste, numerato, quæ nec hîc repetam, videbit illa suo loco lector.

Sed ut istam quæstionem tangamus, an præsentem iuri suo renuntiare censetur; hæc omnia, eaque sât multa puncta introspectienda sunt.

An præsentem & tacens consentire videatur?

An præsentem, ut testis?

An non subsignans, neque vllum actum posituum faciens?

An in re ardua, magnique, immò maximi momenti ac præiudicij?

An expeditio impediri poterat per tacentem, nec ne?

Præsupposito, præsentiam introducere consensum ad actum, qui geritur, an iste inducat translationem siue donationem rei propriæ?

An rei alienæ?

Siue, An qui non habet potestatem alienandi, multò minus donandi, possit per confessionem tacitam, immò expressam, ac per quæcunque volueris, inducere præiudicium in re, de qua disponere non potest?

In specie; An Prælati habens conuentum, siue Capitulum, possit per vllum actum alienare, donare, euertere iura (præsertim fundamentalia statumque radicalem concernentia) sui Monasterij?

Immo, An ipsum Monasterium ac Capitulum simul cum Abbate illud possint, absque causâ necessariâ, debitisque solemnitatibus?

Plurima illa sunt, quæ leuiter inferuntur ex nominatione Sigeneri inter testes simpliciter permixti.

Quæ illatio facili negotio refellitur, hisce, ad illas quæstiones, Responsionibus: nam quoad illam, An præsens censeatur fateri, vel negare, vel consentire? reperies passim ad eò obscuram, incertam ac perplexam esse inter Doctores, ut nescias quid ex eorum opinionibus resolvas, adeò ut fatendum sit, non posse de illa certam regulam in vniuersum constitui, præter fortè illam Iurisconsulti in l. qui tacet. 142. ff. de regulis iuris. *Qui tacet, non utique fatetur, sed tamen, verum est, eum non negare,* ita ut taciturnitas, neque confessio sit, neque negatio: sed quid medium inter vtramque, à quâ regulâ excipi debeant in particulari casus illi, de quibus per leges specialiter dispositum est, induci confessionem aut consensum, vel vice versa dissensum induci.

Atqui præsentem, tanquam testem consentite dispositioni, non est dispositum per leges, præsertim cum simpliciter narratur adfuisse ut testis, nullo actu positiuo ab illo præstito.

Immo in contrarium specialiter ac expressè disponitur, præsentem tanquam testem, & quod magis est, illâ qualitate signantem, siue dispositioni subscribentem non consentire, neque sibi præiudicare.

Adeò ut, cum casum hîc habeamus legis, specialem ac expressum, non inquirendum sit in quæstiones illas vagas ac generales, infinitis ambagibus, diuisionibus, subdiviisionibus, conditionibus subiectas.

Textus autem illius casus est specialis & expressus in l. Gaius Seius 39. ff. de pignorat. act. ibi, *Quæro an ex hoc, quod signauit, præiudicium aliquod sibi fecerit &c. Herennius Modestinus respondit contractui pignoris non obesse, quod debitor testamentum creditoris, in quo se emisse pignus expressit, signasse proponitur.*

Vbi Gothf. in gl. *Subscribens, inquit, seu signans instrumentum vel testamentum ut testis, sibi non præiudicat;* rationem iungit; *Quia non id signat quasi contrahens, aut, ut se contrahendo obliget, breuiter addit; Qui ut testis subscripsit, probare ea non intelligitur quibus subscripsit.*

Subscriptio, si est ad substantiam actus, præiudicat; si ad probationem, ut testis, secus. *Card. Tuschus verbo præsentia, conclus. 603. n. 21.*

Ac sanè, notabile est, quod Abbas ille prætenso Sigenerus in illo prætenso Diplomate nominatur in qualitate testis, non in qualitate contrahentis.

Atque etiam enumeratur quodammodo in turba ac in medio tot aliorum, ad quos nihil ista res pertinebat; Vnde sequitur, quod in tali qualitate contrahentis non interfuerit actui, siue quod consensus eius dispositiuè adhibitus non fuerit.

Si enim taliter adhibitus fuisset eius consensus, quid impediuiser illud in Diplomate exprimere, eumque, tanquam partem renunciantem in dispositiuo actus inserere? Præsertim cum de eius, siue de Monasterij negotio, cui præesse debebat, ageretur, illudque bene exegisset grauitas negotij, speciali sanè notâ dignissimi.

Verisimile est tunc temporis prætenso illum Sigenerum inter cæteros generali negotiorum in Comitij expeditorum tractatione visum ac repertum, etiam inter alios Comitiorum confortes in hac expeditione ex stylo à Diplomatis expeditore, fuisse insertum.

Immo, quod magis est, cum inter præsentès nominetur, de eius autem consensu expresso nihil asseratur, tantum abest, ut pro consentiente, quin & imo pro dissentiente habendus sit, *Alexand. lib. 7. cons. 180. numer. 3. & 4.* cuius hæc sunt verba.

Quia, respondeo primo, quod in dictâ scripturâ non dicitur, quod dictus Nicolaus

tacet

tacuerit vel contradixerit, & sic ex Scriptura illa non probatur tacitus consensus, prætereaposito, quod etiam in scriptura contineretur, quod D. Nicolaus non contradixit, tamen non per hoc videtur tacitè consentire, quia in actibus extraiudicialibus tacens videtur contradicere, si tractatur de obligando eum ad aliquid præiudiciale. hæc Alexand. l. filius familias §. inuitus ff. de proc. l. qui vaf. §. vetare. & l. pen. ff. de fur. Innoc. Hostien. To. And. Archidias.

Vbi Carolus Molinæus in Annot. ad verbum, *Poteram*, dicit, quod neque isto casu, quando per dissentium posset impediri actus, fiat præiudicium tacendo. alleg. Bald. Fab. Matth. affliet.

Itaque ad nostrum casum, primò non habetur vllò in loco Diplomatis, quod Abbas Sigenerus tacuerit, & non contradixerit, non ergo probatur eius taciturnitas, atque adeò præter deficientiam iuris (etiam posito factò) deficit ipsa facti positio siue probatio, immo pro Maximinianis ipsa facti iurisque probatio in contrarium statuitur. Alexander sup. alleg. Ad cuius confirmationem non importunum fuerit hic advertere textum ab illo citatum. l. filius familias §. inuitus ff. de procurat. qui talis est: *Inuitum accipere debemus, non eum tantum, qui contradicit, verum eum quoque qui consensisse non probatur.* Vbi Gothefred. *Inuitus & pro non consentiente habetur qui tacet vbi de eo obligando agitur, & sic taciturnitas ad aliquem obligandum pro consensu non habetur.*

Præterea quomodo probatur, quod actum impendire potuerit Abbas? quod omni in casu necesse est potuisse fieri ad hoc, vt taciturnitas vllò modo præiudicet. DD. omnes.

Deinde in casu, quo cæteròquin tacens consentire censeretur, exceptio est, quando ageretur de magno, (& multò magis si de maximo) consentientis præiudicio. Card. Tuschus verb. *Præsentia*. con. 603. n. 46. alleg. Bart. in quæst. 7. verbo, *Solutio*, col. pen. verbo, *Circa Tertium vsque in fin.* Mascard. concl. 417. verb. *consensus*, n. 15. & seq. verb. *consensum præterea.*

Particularitèr, præsentia & patientia non inducit consensum, vt inducatur confessio dominij rei meæ esse alterius, quia etiam si esset confessio expressa ex certâ scientiâ factâ, potest reuocari à docto de errore, & rem aliter se habere, ergo multò magis si est tacita. Idem Tuschus, *ibidem numero 47.* Franc. Aret. eod. conf.

Item præsentia & patientia non potest inducere alienationem seu donationem rei eius, qui est præsens & patiens, quia concurrent duo specialia ex eodem fonte, quod est prohibitum, nempe taciturnitas operaretur confessionem seu consensum, confessio operaretur donationem, idem Tusc. ead. conc. 603. n. 49. alleg. Franc. Aret. conf. 14. n. 8. vers. *Secundò quia hic resultaret.*

Denique præsentia & patientia non inducit donationem rei illius, qui præsens est & patiens, quando de ea non potest disponere, prout de feudo, Emphiteusi, vel re prohibitâ alienari. Idem *ibid.* n. 48.

Prælati habens capitulum & Conuentum, prout Abbas, non potest non modo tacitè, sed neque expressè, transigere, donare, alienare, aut præiudicare Ecclesiæ. Tuschus verbo *Prælati*, concl. 500. n. 56.

Immò, neque potest fieri renunciatio à Capitulo, aut Monasterio, nisi subfit causa, quæ requiritur in alienatione, quia renunciatio de facto, est alienatio. eod. verb. *Prælati*, conclus. 160. n. 1. & 5.

Renunciatio iuris acquisiti dicitur quædam donatio vel saltem habet vim donationis. *Ibid.* n. 7.

At hic obiicitur Abbati concessum esse per Ottonis priuilegium de An-

no DCCCCXLVI posse subijci Monasterium alterius potestati: si illud placuerit Abbati, ad cuius rei probationem inseruntur in voto è Privilegio Ottonis extracta hæc verba: *Sed neque ullius prematur ordinationis potestate absque voluntate electi Abbatis.*

Ergo, inquit votum, inde apparet potuisse Abbates tradere se sub alicuius ordinariam potestatem. Item fatentur Luxemburgicam habere Aduocatiam, itaque derogatum his privilegijs. hæc votum.

Ad quæ respondetur, quod diuersa res sit in Aduocatia esse, & sub potestate esse. Aduocatia munus ac officium est defendendi, tuendi, ac protegendi, non potestati subijciendi, opprimendi, quæ in gratiam fauorèq; clientum dirigitur.

Ac quantum profuerit domui religiosæ, ac ipsius libertati conseruationiq; Luxemburgica illa protectio, euentus successusque rerum à multis retro sæculis docent.

Sed neque soli Abbati in illam consentire permissum fuit.

Nam in Ottonis II. Diplomate Num. 16. notato, quod de Anno DCCC LXXIV. etsi de minoribus illis Aduocatijs, siue particularium locorum defensoribus, aut aduocatis ad nutum reuocabilibus loquatur, tamen non permittitur Abbati vt solus, sed cum congregatione Capituli potestatem habeat easdem Aduocantias Monasterij sui, cui velut dandi, cuique velit tollendi. Vide Diploma, ac deinde diuersa alia postea subsecuta similia sub....

Quantum autem attinet ad locum illum ex Ottonis Diplomate decerptum, respondetur, quod nullum tale reperiatur datum Anno DCCCCXLVI. in quo verba allegata habeantur, neque etiam Scriptor tale quid producit, aut libello suo inseruit.

Exstat quidem apud nos autographum, quod exhibemus sub N 7. Ottonis M. datum anno DCCCCXL. quarto Regni eius, quod etiam in processu Spirensi sub tali dato per fiscum exhibitum fuit, in illo reperiuntur verba ea, quæ voti auctor profert, sed longe alio sensu, nimirum sub his terminis.

Fratres predicto degentes loco tanta religione dedito à nullà vnquam, vim Dominationis patientur, personà, sed neque ullius premantur ordinationis potestate vel famulatus, absque voluntate electi Abbatis, qui à reliquà promoueaturs eiusdem Cœnobij congregatione secundum S. Benedicti regulam.

Ex quibus verbis colligitur & deprehenditur statim mala fides auctoris, qui verba illa ita detruncata & manca protulit, omittis antecedentibus; his nimirum: *Fratres à nullà vnquam, vim Dominationis patientur, personà.* Deinde loco, *premantur*, dicit, *prematurs*, quasi de Monasterio sit sermo. Item omittit voces *illas, vel famulatus*, quæ maximè ad rei intelligentiam faciebant.

Nam inde liquet Ottonem magnum noluisse Religiosos seruitijs, angarijs, perangarijs, alijsque oneribus grauari, nisi Abbati id expedire iudicaretur, illisque annueret.

In quo ipso adhuc consensum & voluntatem Capituli non excludit, in alijs Diplomatebus ac à Iure, requisitam, taxatiua siquidem non subintelligitur in dispositione, præsertim, cum per illam subintellektionem induceretur interpretatio iuri contraria, *Card. Tusch. verb. Taxatiua conclus. 24. quo in loco n. 19. dicit specialiter ad hunc casum, Quod Abbas præsumatur omnia facere de consensu Capituli, nisi dicat per verbum restringens, se fecisse, Solum.*

Sed & vt possint ordinationes aliquæ executioni mandari cum Abbatis solius voluntate, non inde sequitur subiektionem absolutam & perpetuam Monasterij ab illo induci posse.

Scimus quot quantaque negotia, publica, extraordinaria, repentina, transitoria occurrant, militaria, ciuilia, vt his non preiudicetur Monasterium absque Abbatis permisso aut voluntate; An id erit, vt Abbas fundamentalem Monasterij statum, ipsius fundationes, Imperatorum, Regum, Principum sanctiones, res iudicatas, omnes denique Monasterij res, authoritates ac Iurisdictiones in perpetuum euertere possit?

Alia fundamenta, in tanto opere querat oportet Archiepiscopus ex suo proprio Iure stabilita, non ex Imaginarijs Abbatum donationibus.

Archiepiscopus semper omnibus conatibus contendit, vt Maximinianum Monasterium suae aulae annecteret: Maximiniani est contra nihil maioribus animis vnquam praestiterunt, quam vt suam libertatem vindicarent; quam in rem tot Imperatorum decreta, placita, res iudicatas, obtinuerunt, & ista omnia vnus praetensi Abbatis nominatio inter testes in actu, ex se inualido, euerteret?

Sanè si Abbas vltus in tale quid consensisset, non pro sanæ mentis, sed errante, ac à recta iudicij ratione deuiò, meritò haberetur, aut sanè pro rerum Monasterij prodigo, ipsi per talem profligationem nocendi, incapace.

Sed & praeterea, quod si generus ille non fuerit Abbas, ac qualiter Monasterium tunc ab Archiepiscopo turbatum, afflictum ac oppressum fuerit, ex his, quae alibi Sect. 5. & 6. latius deduximus, dignosci poterit.

Verùm neque nos hinc absque fortioribus contra Aduersarium in simili argumentis, paulò antè indicauimus Diploma Henrici IV. Imperatoris sub Nu. 26. in quo continetur, quod Archiepiscopus Treuirensis, nomine Eberardus, non solum praesens & consentiens fuerit Confirmationi Priuilegiorum Maximiniani Cœnobij, statuente vt illud sub Imperatorum iure, mundiburdio & defensione consistat, nec alteri sedi, aut Ecclesiae, excepto Regali potestati successorumque Imperatorum aut Regum, famulum aut appendix vel beneficium subiaceat.

Immo & quod illius confirmationis petitor, intercessorque, cum alijs Archiepiscopis, Episcopisque ipse Treuirensis extiterit, his Diplomatis verbis: *Ob interuentum dilectissimi nobis Adelberti Hamnaburgensis Archiepiscopi, nec non & Annonis Coloniensis Archiepiscopi, & Eberardi Treuirensis Archiepiscopi &c.*

Quid ad hoc? An non vel voto ipso iudice validius inde argumentanda inferendaque fuerit Archiepiscopi renunciatio, quam per simplicem Abbatis inter testes nominationem?

Hic enim interuenit actus positius ad ipsam actus substantiam, qui sanè cōsensum inducit, prauiudicatque etiam in prauiudicalibus. *Card. Tusch verb. Praesentia, concl. 603. n. 18. & 19.* Consilium siquidè & collaudatio cū praesentia, sunt actus positui, qui inducunt consensum. *Idè ib. n. 30. alleg. Tiraq. de retrac. Gentil. § 1. gl. 9. n. 157.* Item, sollicitans causam vel negotium, cui tuit praesens, dicitur actum posituum fecisse, vt sibi prauiudicet. *Idem Tusch. ibid. n. 31. alleg. Tiraq. de Legib. connubialibus §. Expers glos. 7. n. 29. in fine.*

Deinde quid de tot alijs Archiepiscoporum confessionibus, quae per alia documenta supra edita patefcunt, dicendum fuerit?

Praetereo hinc caetera, ne dicta repetam, sed vnum illud quo nuper denuo confessi sunt, Archiepiscopi, expressa scriptura, *Membrum esse Insigne imperij, feudale esse Imperatoria, in feudare se nomine auctoritateque Imperatorum*, si de confessione aut consensu tractandum sit, ad effectum renunciationis, an non habendum fuerit non solum pro tacita, sed pro expressa renunciatione?

Cur & haec non dicta, non tacta in voto?

Art. 4. Diuersi alij Errores, Incongruentiæ & contradictiones indicantur.

A Libi passim in similes incidit Errores.

Iam expressimus refutauimusque illos, vbi infert Abbatem se submisisse omnimodæ Iurisdictioni Archiepiscopi officij iure, quia (inquit) se illi tanquam Imperatoris Vicario submisit ex Diplomate Maximiliani I. quod vtrique solummodo mandatum continet de renouandis Inuestituris Imperatoris nomine.

E diuerso asserit in eodem illo Diplomate nouam donationem contineri omnium Iurium Monasterij, ita vt per idem Diploma omnia Archiepiscopo donata sint Monasterii bona, iura, Iurisdictiones, regalia, ac denique ipsum Monasterium.

Ad illudque fingendum interpretationibus vtitur, quæ textui ipsi manifestam vim inferunt, ac ab aperta concedentis ac omnium mente aberrant.

Item mutilat Diplomatis textum, vltimaq; ad priora refert, rebus intermediis (ad quas vltima referuntur) omissis, vti ex collatione textuum apparebit; Interpretatur per facultatem infeudandi Abbatem Imperatoris nomine, data esse Archiepiscopo Regalia, feuda, dominia Maximiniana.

Sed & antea pro Archiepiscopo asseruerat primæ concessioni nunquam derogari nisi expressum hoc sit.

In nullis autem Archiepiscopalibus rescriptis verbum vllum continetur, quo Maximinianis iuribus derogari exprimat, aut de eorum Diplomatum aut priuilegiis fiat mentio.

Item pro Archiepiscopo paulò antè sustinuerat, quod Princeps non censeatur alicuius suum aut possessionem auferre, aut vlli præiudicare velle in iure quaesito, & quod potius verba debent impropriari, quam vt alicui præiudicent, etiam si motu proprio, & ex certa scientia adsit clausula, idque de Iurisdictionalibus loquens, quæ paulò post tam facile tolli ait.

Art. 5. Quòd male asserat votum, Imperatores aliorum iuribus derogare potuisse ac derogasse, in quo Archiepiscopo magis officit.

T Andem & illuc pertingit votum, vt dicat Iuribus omnibus derogari potuisse, *Cum priores, inquit, Imperatores non potuerint legem imponere successoribus à qua recedere non possent.*

Atque etiam non aduertit inde omnes Archiepiscopi machinas destrui, omnes spes refecari.

Nam si posteriora sic facile derogant prioribus, neque potuerint priores Imperatores legem imponere successoribus, à qua recedere non possent (vti ait votum) ecce habent Maximiniana omnium Imperatorum Diplomata, Caroli IV. Friderici III. eiusdem Maximiliani I. Caroli V. Maximiliani II. Rudolphi II. aliorumque omnium Imperatorum, istis Archiepiscopalibus anteriora, posteriora, ac qualiacunque exigere velis.

Ac tandem & postremo moderni Imperatoris Ferdinandi II. non solummodo diploma confirmatorium, sed & sententiam in Iudicio contradictorio latâ.

Contra quam; Cur ergo Archiepiscopus institit se ad Cameram in ius remitti, si ex nudâ & simplici Imperatorum posteriore voluntate omnia reuocari, donari, tolli, transferri possint?

Dices quod Electorum Priuilegia, iuxta auream Bullam ab Imperatore reuocari nequeant.

Si ita est, legem ergo priores Imperatores imponere potuerunt successoribus, à qua recedere non possint, sed vt non reuocentur primæua Electoralis status priuilegia, cur non & idem de aliorum Imperij statuum iuribus præsertim veteribus? attento specialiter in inauguratione solito promisso?

Sed si ponas Maximiniana iura, Maximiniani potuisse auferri, Archiepiscopis de nouo dari ex Imperatorum nudâ voluntate, an non dicat æquitas, vt eadem voluntate eadem iura primis suis Dominis possint restitui?

Hic sanè militat præcipuè ista legis sanctio, cuius ratio & in voto allegata est, vt *quod quisque iuris in aliam statuerit, eodem & ipse utatur*. l. i. d. tit. Idque magis, quia fauorabilis est eiusque rei ad suum pristinum statum reditus.

Art. 6. Aliæ rationes, ob quas probatur, quòd Imperatores Maximinianorum Iura non abstulerint, vt eadem Archiepiscopo donarent, imo ipsis Archiepiscopi assertionibus stabilitæ.

CÆterum trita ac nota sunt, quæ de potestate Principum tractantur, in locis communibus ac quæstionibus Scholasticis, vtrum priuilegia, Iurisdictiones, ac iura, à prædecessoribus data reuocare possit successor, absque causa: vtrum in Principatu hæreditario; vtrum in electiuo; vtrum priuilegia, quæ in contractum incidunt: quæ ob causam, aut factum reciprocum data sunt; vtrum illa, quæ data sunt Ecclesiæ, præsertim in fundatione; vtrum illa, quæ data sunt per viam feudi; vtrum illa, quæ confirmata sunt per possessionem immemorabilem, & similia, in quæ inquirere non lubet, obuia enim sunt.

Suffecerit hîc, quòd neque fecerint optimi Principes, neque facere intenderint, neque fecisse vlla iuris ratione dici, aut interpretari possit.

Verba Præsidis Fabri hîc non incongruè inseri posse videntur.

Etsi, inquit, de supremâ Principis potestate dubitare sacrilegio proximum quid esse creditur. l. 2. C. de crimin. sacrileg. l. sacrilegys C. de diuers. rescript. Quia tamen digna Principis vox est, legibus alligatum se potius, quàm solutum profiteri. l. digna vox 4. C. de legibus. Non abs re Imperatoribus placuit, rescripta quæ contra ius, vel utilitatem publicam impetrata sint perinde haberi, ac si non concessa essent. l. 2. l. ult. & passim C. si contra ius vel utilit. public. Quasi circumuenta per obreptionem aut impudentiam, religione Principis, qui nec voluisse vnquam credendus est, quod iuste velle non potuit. *argum. leg. Si quando 35. C. de inoff. testam. l. omnium 19. C. de testam. l. Nepos proculo. de verb. signif.* Ea verò maximè rescripta contra ius esse censentur, ex quibus alicui iniuria inferatur, non enim iuris ratio patitur, vt inde nascatur occasio iniuriæ vnde iura oriuntur, quod vix est, vt non eueniat, quoties alteri iam quæsitum ius, aut inuito, aut etiam ignorantia adimitur. l. nec auus. 4. de emancip. liber. l. 2. § si quis à Principe. ff. ne quid in loco public. l. quoties ff. de precibus imper. offerend. l. id quod nostrum. ii. ff. de reg. iur. hæc Præs. Faber in suo Cod. Fabriano. lib. i. tit. ii. si contra ius vel utilit. public. def. i.

Cui addere libuit (inter alios mille) Gayllum *pract. obseru. lib. 2. obser. 58.* de opinione, in Imperiali camerâ, receptâ attestantem; Si Princeps, inquit, aliquid rescribat, si ad postulationem partis hoc fiat: isto casu iusta causa in Principe disponente non præsumitur; immo præsumptio est Principem importunitate, & ex falsis narratis supplicantis circumuentum esse. gloss. & DD. in l. Relegati &c. Hinc est quod quotidie contra rescripta Principis, ad petitionem partium impetrata, exceptiones sub & obreptionis opponantur, cum tacite subintelligatur in rescriptis clausula illa, Quatenus preces veritate nitantur. *text. in c. Sedes &c. notab. text. in l. etsi legib. C. si cont. ius & util. public.* Et intentio Principis nunquam videtur talis esse, quod velit iuri alteri quæsito derogare, quia eius rescripta cum iustitia & saluo iure Tertij, hoc est, ita intelligenda sunt, ut nemini iniuriam faciant, nec Ius Tertij lædant, sed saluum & illæsum relinquant. *Text. in cap. super eo. §. hoc tuam &c.*

Art. 7. Quòd particulariter Imperij membrum non possit supprimi, nec de suo gradu deijci.

Sed & in alijs hinc versamur circumstantijs.

Tractatur de legibus Imperij, agitur de vno ex Imperij membris à suo gradu deijciendo, de que suo standi in Imperio iure priuando.

Quod, an fieri possit: istis, qui statum Imperij cognitum habent, decidendum relinquimus.

Statum esse Imperij siue in Imperio statum consistentiamque habere, quàm excellens, arduumque ius sit, quàm firmum fixumque, nemo est, qui ignoret.

Quantum autem dedecus dignitatisque detrimentum inferret ab illo statu remoueri, nec satis sciri aut comprehendi queat.

Ac si in communibus feudis Dominus non potest præiudicare Vasallo, siue in reuocatione aut sublatione vllius rei aut iuris, siue in alteratione feudi, in qualitate, dignitate, autoritate, siue in aggrauatione subiectionis aut seruitiorum, cum feudum sit contractus vltro citroque obligatorius, de iure gentium ac naturæ in conditionibus suis exactè vtrimque obseruandus. *Tusch. verb. feudum, concl. 110. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & DD. passim.*

Multò minus præiudicari queat Imperij statui in suo illo status gradu, dignitate ac prærogatiuâ.

Regula infallibilis est (ait Carolus Loysacius *tract. de dominijs cap. 7. n. 70.*) in materia dominiorum, quòd, quò propius illa accedunt ad Regem, à quo omnis dignitas procedit: eo digniora existant. *Et cap. 4. num. 42.* Ut quodcunque corpus eò magis illuminatur, quò ad solem opponitur: ita dominia, quæ non aliud sunt, quàm radij supremæ Principis potestatis, de eadem magis participant, quò proximius ad illam accedunt.

Ut Princeps supremus in suo Principatu ideò summus est, quia in terris alium supra se neminem habet, sed soli Deo opt. Max. Regi Regum, & Domino Dominantium immediatè subijcitur, ita & Principes subalterni eò maiores excelsioresque existunt, cum alium præter Principem illum supremum non recognoscunt.

Ac ut inæstimabilis iniuria contingeret illi supremo principi, qui à suo illo supremo statu in subiectionem alterius Principis conijceretur: ita & proportionaliter Principi subalterno, qui suo immediato statu priuaretur, ac, siue per

intermediam alterius Domini interiectionem, siue per quoduis aliud retrogradationis medium, in inferiorem gradum deturbaretur.

Immò nec vel à simplicissimo ordine retrogradationes vnquam indicuntur, nisi pœnæ supplicijque causa, ob culpam.

Finge (inquit Diuus Hieronymus in Epistola ad Pammachium) aliquem tribunitiæ potestatis suo vitio regradatum, per singula malitiæ officia ad Tyronis vocabulum deuolutum.

Idem aduersus Iouin. In volumine Ezechielis: Sacerdotes, qui peccauerunt regradantur in ædituos & ostiarios.

Ammianus Marcellinus lib. 29. ita Theodosius, equites, qui ad rebellem defecerant, vt contentum se leuiore supplicio demonstraret, omnes contrusit ad infimum militiæ gradum.

Text. autem l. 3. C. de domest. & protect. lib. 12. ita habet, Si quis domesticorum sine comæatu per biennium obsequijs serenitatis nostræ defuerit, is retrorsum in ordinem tractus inferiorem, quinque sequentibus postponatur; si verò triennium eius absentia continuasse monstretur, vsque ad decimum locum procul dubio regredietur; quòd si quadriennio abfuerit, nouissimus colloquetur, quinquennium autem si fuerit diuagatus, ipso iam cingulo spoliandus est.

Text. l. 2. C. de comæatu lib. 12. idem statuit his verbis. Quicumque de scrinijs, aut agentibus in rebus, vel etiam ex officijs palatinis sex mensium spatium, supra diem comæatus abfuerit, is in inferiorem locum quinque antelatis posterioribus deuoluatur; is verò, qui anni vacationem arbitrato proprio iudiciarij præcepti oblitus assumpserit, à decem post se militantibus transeat, ac deinde cum iam aliquis desidia quadriennio officium proprium adire neglexerit, quadraginta de sequentibus post feratur; qui verò nec post quadriennij quidem tempus, militantium non immerito matriculis auferatur.

Modestinus in l. 2. ff. de re militari inter pœnas militares & has numerat, militiæ mutationem, gradus deiectionem.

Istud ne Imperii membro statuiæ contingere possit, vt non solum à sui soliti ordinis loco ac honore, sed & ab ipso statu deturbetur, atque ex Imperio, in quo existendi, tanquam pars & membrum integrans, lus habebat, refecetur ac eijciatur? siue illud fiat per viam alterationis aut subalternationis feudorum, Iurisdictionis, regalium: siue vllò alio pacto, via ac modo attentetur; & an per vnum rescriptum, quod Archiepiscopi pro confirmatione iurium ac priuilegiorum suæ Ecclesiæ impetrauerint, aut impetrare adhuc poterunt, id factum esse censeatur?

Sed iura cum habemus ab ipsa parte dicta ac data, aliunde accersere opus non est, lubet ergo subiungere ipsius Archiepiscopi per sui libelli scriptorem impressum testimonium §. quæ Pontificia pag. 28. quod sic habet.

Quæ Pontificia, Imperatoria, Regia, ac supremorum Imperij Tribunalium respectiue indulta, Regalia, priuilegia, sententiæ & res iudicata, concessionones, confirmationes ac corroborationes, antiquissima item & prescripta possessio contra clarum textum articuli tertij Casareæ Capitulationis iurata, non tam leuiter vel ob proprium interesse, vel ad nuntium Monachorum deficientium ac refractariorum (verba sunt ornata, quibus libellus passim inspergitur) vel alias ob causas prohibitas subuerti, vel ad instar nasi cerei hinc inde verti possunt ac debent.

Ista exquisita sunt, si secus faxit, ecce remedium; nam subnectit, *hoc si fiat aut tentetur, Electores, Principes & status Imperij, qui in præeminentis suis, dignitatibus, Regalibus, Priuilegijs & Iuribus, cum primis sententijs ac rebus iudicatis*

contra ius & fas constitutionemque pacis publica violenter turbantur, eadem impune defendere, ac se in possessione sua, vel quasi, manu tenere licite queunt.

Itaque claudatur hæc disceptatio per verbi diuini pronunciatum, Ex tuo ore te iudico.

S. V. Quòd friuolè ad præscriptionem recurrat voti
Auctor.

TAndem ad Præscriptionis auxilium confugit, iniquum illud remedium in notoriâ malâ fide, verùm clarissimis rationibus conuincitur auctor voti, & ex suis ipsis verbis, quòd Archiepiscopus Dominium Iurisdictionale in Abbatiam non modò non præscripserit, sed nec possederit.

Art. 1. Ex ipsis voti verbis euincitur, quòd Abbatia semper manserit sub potestate Imperatoris, & nunquam possiderit ius in illam Archiepiscopus.

Ipsum votum format ac Archiepiscopo obijcit obiectionem sanè firmam, quam non soluit, neque vnquam vllus soluat, hæc nempe verbis: *Et ob id cum posterioribus accedat confessio omnium partium, Imperatoris, Archiepiscopi & Abbatis. Quod videlicet sit membrum Imperij, habeat iura, feuda & Regalia ab Imperio, praualeat debet ista confessio fortificata per alia in iudicio producta, & huic standum est. deinde paulò post: Rarum quoque facere videntur testes producti contra confessionem prædictam, quia cum constet ex Maximiliani Priuilegio etiam Anteriores Archiepiscopos aliud ius in Monasterium non habuisse, quam tunc ei conferri, (infeudandi nempe Imperatoris nomine) & sic Monasterium in potestate Imperatoris mansisse. Præterea hæc subnequit: Non ex inuestitura non patet, Archiepiscopum possedisse, ergo possessionem non potuit inuerti, igitur inuersam potius possessionem, & sic in mala fide, ut non valeat præscriptio, etiamsi probata sit. l. male agere. C. de præscriptione 30. vel. 40. annor. præscript. Quomodo enim præscribere potuit, quod ad alium pertinere sciebat? Ista votum, pulchra sanè, apta ac vera, nisi quod in his verbis, ex inuestitura non patet Archiepiscopum possedisse, credibile est transpositam esse particulam: Non, ac imprimi vel scribi debuisse, Ex inuestitura patet Archiepiscopum non possedisse, quamuis effectu penè in idem recidat, ac vtrumque verum sit.*

Si quidem ex inuestitura nomine Imperatoris vtrumque deducitur, & quòd ex ea non probetur Archiepiscopum possedisse, & quòd probetur non possedisse, & non solum possedisse, sed neque ius Domini habuisse ex istis, quæ abundè de illa re supra deducta sunt; nec enim idem est possidere & alio nomine possidere: nam possidet, cuius nomine possidetur, Procurator alienæ possessioni præstat ministerium. *Text. in l. quod meo ff. di. acquir. vel. amit. pos. adde text. in l. qui bona fide 19. eod. tit. & illa, quæ latè ab Anton. Gomaf. tractantur in Comment. ad leges Tauri in leg. 45. n. 63. & multis seqq.*

Illud idem statuit ipse Votator pag. 129. vers. sed quia. his verbis: *Præsertim cum sint contraria, ut dixi, vicem gerere Imperatoris, & rem possidere.*

Quod autem in Voto subiungitur non potuisse euertere possessionem, siue non potuisse sibi ipsi causam possessionis mutare, neque ex illa possessionis

muta-

mutatione præscriptionem sibi inducere, iuris est indubitati. *l. possideri 3. §. 1. lud quoque ff. de acquir. vel amit. pos. l. 5. C. cod. l. 33 §. 1 ff. de usucap. l. 6. §. 3. ff. de precario. d. l. male agitur C. de Præsc. 30. vel, 40. annor.*

Art. 2. Mala fides quoque præscriptionem impediuit.

DEinde ex aliâ causâ malæ fidei, quæ ex scientia rei alienæ probatur, & ex titulo illo domi retento, quem quavis occasione inuestiendi occurrente, ipsi Archiepiscopi obseruabant, & practicabant inuestituras impertiendo Imperatoris nomine ac vicissim fidem Imperatori non sibi præstitam recipiendo, funditus eradicatur præscribendi facultas, ac in æternum impeditur, ipso voto testante, ac Canonistis omnibus ex titulo vitioso, vel cuius lectura repugnat præscriptioni; vel qui scientiam res alienæ inducit, mala fides arguitur, quæ præscriptionem in æternum impedit. *Tusch. verb. Præscriptio Conc. § 21. num. 35.*

Ac sanè dum considerare incidit, quod adeo manifestum est, Archiepiscopos infeudationes conferre debere Imperatorio nomine, eos ipsos, ut sic conferrent impetrâsse, ac de facto semper ita contulisse, similiterque Imperatori non sibi præstita fidelitatis iuramenta recepisse tanquam Imperatoris Commissarios ac Mandatarios, vti manifestè ex documentis constat sub Num. 51. & seqq. Et tamen quod postea attentatum sit inuestiendi fideique iurandæ formam mutare, & talem formam ob oculos hominum in libello euulgare, suppressis veris & genuinis titulis, quisquis istius rei author aut suafor fuerit, quis non admiretur istam fidem? Quis non, vel ex simplici iudicij naturalis lumine istum, qui ex talibus machinationibus aliorum iura inuadere prætenderet, repellat & ad conscientiæ simul ad Dei tribunal remittat?

Itaque hîc subsistere satis superque fuerit; & habet ex nunc voti auctor abunde, vnde in præscriptionis titulo inducendo non angatur.

Et tamen operæ pretium fuerit ex abundantia, cætera allegata examinare.

Art. 3. Non probari possessionem Archiepiscopi ex eius Diplomatis, quin immo ex illis & inuestiendi factis euidenter probari contrarium.

Pvat ex Diplomatis Archiepiscopalibus probari pro illo possessionem, præsertim ex Conradino & Fridericiano, quæ tamen inualida, subreptitia nulla, ac nullum effectum sortita fuisse, nec sortiri potuisse hæctenus suo loco demonstratum est, nec Diplomatis Maximinianis, tam anterioribus, quàm posterioribus, quoad vllum effectum comparanda, quæ sanè ad possessionem quoque Maximinianorum probandam ijs ipsis rationibus, quas votum adfert, longè lateq; antecellunt.

Ac quod magis est, ex ipsis prætenis Conradino ac Fridericiano probatur, quòd ante illa possessionem Abbatia non habuerint Archiepiscopi, qui per illa conquerebantur ablatam à se esse Abbatiam, illam sibi reddi postulabant, atqui ablatum non est, quod possidetur, reddi item non potest ei, qui possidet.

Non potuisse Abbatiam illorum Diplomatum prætextu, iure acquiri, con-

stat

stat ex ratione deductarum nullitatum ac iniustitiarum.

Non acquisiuisse de facto, constat ex statu Monasterij continuato, atque ex ipsius Documentis, tam præcedentibus, quam subsequenter eandem status continuationem probantibus.

Ac specialiter probatur per ipsum Maximiliani I. Diploma, quo eis concessum est, ut infeudarent Imperatoris nomine, utque eius vicem eo in facto gererent, quod incompatible est cum possessione rei, ipso voto teste, loco supra citato.

Probatur deinde per seriem continuam actuum infeudationum post idem Diploma ad hominum mutationes renouatarum, ac fidelitatum Imperatori præstitarum, quam vide sub N. 51. & seqq.

In quibus ab Impetratione eiusdem Diplomatis vsque ad Ioannem Isenburgicum, sub quo ista Spirensis cæpta fuit, continuo ac perpetuo tenore per Archiepiscopos infeudationes siue inuestituræ Abbatibus traditæ fuerunt Imperatoris nomine, tanquam eiusdem commissarios, ac reciproce Abbates Imperatori fidem iurauerunt in manibus ipsorum Archiepiscoporum, in dicta Commissariorum qualitate, ipsis Archiepiscopis ista non solum videntibus & scientibus, sed & præstantibus, facientibus & exercentibus. habes acta omnia successiuè sub N. 51. & seqq.

Dic age quos possessorios actus, dominicalis pro Imperatore iuris, pro Abbatibus immediatæ sub eodem dominio dependentiæ, substantialiores habere queas istis, in quibus ipsa dominiorum, tam directi, quam vtilis respectiuè recognitio versatur, ac ipsorum eorundem dominiorum possessio renouatur, reiteratur, traditur, teste inuestituræ definitione?

Sed & in ipso cæpti processus Spirensis puncto, in quo votum istud confectum fuisse prætenditur, videre dignum est, qualiter ipse Ioannes Isenburgicus Archiepiscopus (cuius ductu ille idem processus susceptus fuit) eandem inuestituram tradiderit eodem Imperatoris nomine, ac expressè profiteatur, se Commissarium esse, ex parte eius id facere, & tanquam mandatum habentem, ac deinde, qualiter illo suscipiente, Abbatis procuratores iuramentum fidemque Imperatori Imperioque præstent, sub N.

Item & dignum est videre eiusdem Isenburgici repræsentationem Imperatori factam, quâ asserit Abbatiam immediatè Imperio Imperatorique subesse, à nemine alio dependere. *Parte 1. cap. 1. Sect. 2.*

Ista sunt præclara & ex istis egregiam possessionem habes, unde dominij præscriptionem Archiepiscopis construas.

Si aliqui actus ad Iurisdictionis, dominijue Iurisdictionalis possessionem induendam spectandi sunt, ut spectari debere magno molimine exaggerat votum, nunquid isti Maximilianorum possessionem in vniuersum firmiter stabiliant?

Iacta nunc tuas in Conuentibus comparitiones, rusticorum rumores, collectarum distributiones, quâ fronte illa tanquam in subditos vsurpes, qui perpetuo rerum fluxu, passus es, & agnouisti subditos non esse, illos non ad te, sed ad Imperatorem Imperiumque Dominij iure pertinere.

Art. 4. Non probari possessionem Archiepiscopi per depositionem testium, sed contrarium.

EX testium, qui in Spirensi illo processu auditi sunt, depositione, facta aliqua corrasit voti auctor, nempe hæc, quod Abbas dicatur venisse ad conuentus

Prouinciales Treuirenses, quòd vulgò habitus sit pro Prælato Treuirensi, quòd ei impositæ sint collectæ, nullo actu specificato, nullis qualitatibus, circumstantijsque temporis, causæ, loci, expressis.

Illud igitur omne est, quod ex testium depositione in fauorem prætensionis Archiepiscopalis confici potuit. Neque quicquam ultra habet.

Et hinc, scilicet, infertur possessio immemorialis & præscriptio vniuersalis Dominij, feudorum, iudicationis, Iurisdictionis Abbatia: Sancti Maximini, reclamantibus rebus iudicatis, centenis Imperatorum & Regum Diplomatibus, omniumque iurium exercitijs contrarijs. Quis non miretur scriptoris leuitatem?

Verùm antequam ad illa respondeo, illud reuocandum in memoriam, Abbatem Sancti Maximini, qui Anno MDLVII. quando testes in causâ illâ producebantur, erat Petrus de Luxemburgo, neque liti huic generatim, neque in specie illi testium productioni, aut eorum iureiurando, per se, vel procuratorem suum interfuisse, neque articulos vidisse, prout iuris est.

Ad hæc ex actis dicti processus deprehenditur, quod testes in hac causâ ab Archiepiscopo producti, non modò omnes illius Vasalli aut subditi fuerunt, sed etiam plerique Ministri eius domestici aut peculiaribus officijs ipsi obstructi, hi nimirum?

Maximinus Pergener Officialis Archiepiscopi eiusdemque Aduocatus Ioannes Duingni, siue Duinthin Scholasticus Palatiolanus & Archiepiscopi ibidem Cellerarius Georgius Leye, Decanus Confluentinus & Archiepiscopi Sigillifer. Ioannes Castner, Scholasticus & Canonicus Confluentinus qui XXXV. annis in aula Archiepiscopali seruiuerat. Michaël Staut à Limpurg, Archiepiscopi Consiliarius. Nicolaus ab Enschringen itidem eius Consiliarius. Philippus à Reiffenberg, Officiatus Archiepiscopi in Cochem. Georgius ab Eltz Senior Officiatus eius in Baldeneck, Bartholomæus Kieselback, iudicij aulici Electoralis Secretarius.

Hi tales, & adeo obstructi Archiepiscopo testes, & meritò suspecti in ijs, quæ pro Archiepiscopo deposuerunt, palam pro libertate Monasterij testimonium dixerunt.

Interrogati enim à Commissario Cæsareo de veritate Articulorum, quos Fiscus proposuerat, & quidem de primo, testis primus testatus est, Abbatem in titulo gestare verba: *Dei gratia*, Secundus, se semper audiuisse illum habitum pro membro Imperij. Tertius, se vidisse missiuas, mandata & processus à Moguntinâ Cancellariâ & Camerâ Imperiali, respectiuè ad ipsum directâ, ideoque idem ad tertium articulum dicit, Abbatiam habendam pro Prælatura Imperij. Septimus dicit Monasterium à Constantino Magno conditum, & ad secundum articulum, Abbatem esse Prælatum Imperij. Nonus affirmat esse Prælaturam Imperii. Duodecimus vocari Regale Monasterium. Decimus tertius, quòd Abbas sit Capellanus honoris Reginæ Romanorum, itemque quòd Religiosi illum habeant pro Abbate Imperii. Decimus quartus, Abbatem semper vocatum ad Comitiam Imperii & esse membrum Imperii. Decimus sextus, esse membrum Imperii, sed immune. Decimus septimus esse Prælaturam Imperii, Cæsaris Cameram.

Ad secundum Articulum Fiscalis, similia multi deponunt.

Ad Tertium, plerique omnes testantur Abbatem ad Dietas & Conuentus Imperii vocatum.

Ad quartum verò, deponunt eum habere Regalia ab Imperatore & Impe-

rio, & nominatim Nonus testis & Decimus quartus dicunt illa ab Archiepiscopo vt Cæsaris Commissario recipi.

Ad quintum testantur Abbatem Matriculæ & Registris Imperij inscriptum, idque se vidisse asserit tertius testis, cui consentit decimus quartus.

Ad septimum denique, apertè omnes testantur Abbatem separatam habere Iurisdictionem, Tribunal, Officiales, & ab Archidicæsi distinctos, de criminibus capitibus per suos Ministros cognoscere, & similia.

Quid ad hæc omnia, aliaque, quæ in processu videre est, dices voti scriptor? Nonne ipsi testes Archiepiscopales certissimis indicijs & testimonijs probauerunt Monasterium esse & fuisse in possessione libertatis suæ & immediationis sub Imperatore & Imperio.

Et quare bone assessor & Iudex fuisse (talis eras) hæc omnia aliaque clarissima Iuris Maximiniani fundamenta & probationes ita tacuisti, dissimulasti, non tetigisti? saltem, eum pauca quæ pro Archiepiscopo videbantur facere, tam prolixè & operosè deduxisti, extendisti, amplificasti?

Ad hæc ostende, age, in tuorum testium vniuersâ depositione vel mentionem ullam aut probationem Iudicationis ab Archiepiscopo in Maximinianos, vlliusve Iurisdictionis, actu aliquo exercitæ, siue in casibus Iustitiæ, siue in casibus politiæ, item ostende actus Releuij alicuius, hommagij, feudalisque iuramenti, Archiepiscopo ipsius proprio nomine præstiti?

In horum igitur omnium libertate & possessione Maximiniani perstiterunt, in quibus tamen essentielles Dominij Iurisdictionalis siue territorialis notæ consistunt.

Nunc ad facta, in voto adeo celebrata, respondendum est.

Artic. 5. Non possedisse Archiepiscopum ius in Abbatiam, etiamsi Abbas subinde ad eius Conuentus venisset.

DEponunt testes, inquit votum, Abbatem ad Conuentus Treuirenses obedienter comparuisse.

Si ad dictos Conuentus aliquando venerit Abbas, certè liberè eum venisse ex ipsis Archiepiscopi testibus apparet, nam eum sæpe abfuisse ab illis testantur primus, octauus, & decimus tertius; Vndecimus verò, vnus statuum præcipuus, testatur de se hoc articulo nihil certi posse dicere, Et quartus ad sextum Archiepiscopi articulum deponit se obseruasse, quod suo tempore quaternis ordine vicibus, etiamsi vocatus esset, non comparuerit.

Sed quid tandem si subinde ad Conuentus Prouinciales Treuirenses venerit, ex hoc inferre potes? An ob talem actum, eum desijisse esse statum & membrum Imperij? an ideo mox factum Archiepiscopi subditum? an per hoc supremo illi iuri & immediato, quod in illum habet Cæsar & Imperium, se subtraxisse?

Atqui euocatur etiam & ab omni sæculorum memoria euocatus fuit ad Comitatus Ducatus Luxemburgensis, ibidemque comparuit, & quidem tanquam primus Ecclesiastici ordinis Prælatus; an ideo desijt esse Prælatus Imperij? an Duci Luxemburgensi idcirco subiectus fuit? an illi collectas, quas alioquin Imperio (nisi esset immunis) soluere deberet, pendere idcirco tenetur?

tur? Nihil minus. Possunt fanè in Conuentibus, aut Congregationibus, præfertim statuum Vicinorum diuersis casibus interesse, alij ex alijs ordinibus statibusque, vel honoris, vel amicitiz, vel vicinitatis causa, vel quia quidam ex subditis comparentium bona sub altero statu sita possidere possunt, vel conseruandorum limitum gratia, vel proponendi quæ se concernunt, vel videndi aut prospiciendi, ne quid in sui præiudicium fiat, vel alijs ex causis sicut passim eernere est in diuersis Comitijs.

Deinde vt contigit aliquos ex posterioribus Abbatibus in se recepisse officia Consiliatorum Archiepiscopi; ita & similia quædam munera recipere potuerunt olim alij, ob quæ comparuerint.

Artic. 6. Quòd vulgo Abbas habitus sit pro Prælato Treurenfi, leuis esse momenti argumentum.

TEstes nonnulli aiunt Abbatem vulgò habitum pro Prælato Treurenfi. Egregiam enim uerò probationem subiectionis territorialis? Et quis risum teneat? Aliqui de plebecula, eò quòd Monasterium S. Maximini prope muros Treurenfes situm videant, illum vocant Prælatum Treurensem: At Imperatores & Reges disertè in Diplomatis, sententijs, & rebus iudicatis vocant, Statuunt, decidunt, ac decernunt Abbatem Sancti Maximini esse Prælatum Imperii, ipsimet Archiepiscopi talem in Inuestituris aliisque actibus agnoscunt & fatentur. Illorum autoritas pro nihilo habebitur, plenam probationem & fidem faciet aliquorum de plebe nominatio, qui cæci, inscii, ignari sua ipsa propria ignorant, multò magis aliena, ac quidem tantæ indaginis negotia.

Sed cur rumoribus & vulgi opinionibus nitamur, cum habeamus illos ipsos testes ab Archiepiscopo productos, disertè declarantes & deponentes, quod Abbas S. Maximini sit Prælatus Imperii, vt paulò ante retulimus.

Articul. 7. Ob Collectarum præensam solutionem nihil Archiepiscopum Iuris possidere.

Collectas Abbati in Conuentibus Prouincialibus Treurenfisibus impostas testes affirmant, vnde voti auctor infert ius collectandi, & consequenter Territoriale Dominium Archiepiscopo per possessionem & præscriptionem acquisitum.

Verum plerique testes, qui Abbati impostas fuisse collectas referunt, negant illas ab eodem fuisse solutas; alij de solutione se nihil scire fatentur; alij apertè testantur Abbatem impostas collectas recusasse, & soluere noluisse, quod solum, ipso volo teste, sufficiebat, vt Abbas libertatem à Collectis sibi confirmaret, si ea vnquam dubia fuisset, ita enim votum N. 258.

Sed & aliunde satis constat, nihil ab Abbate fuisse solutum, quia Registra ac rationes Archiepiscopi nihil tale continebant, neque in processu Spirensi producta aut exhibita fuerunt.

Quis verò credat, si quas solutiones Collectarum Abbas fecisset, illas in libros rationum non fuisse relatas? Non transiguntur talia sine notis, præsertim quando in Maximinianos agitur.

Sed quamvis etiam proferrentur eiusmodi notæ ex Registris, quis iure à nobis fidem illis habendam exigat? an nescimus, quid in similibus etiam recentè factum sit?

Post omnia retro sæcula, in quibus nihil tale vnquam factum, visum, auditum, profert scriptor, vt in libello suo exhibet, sub lit. H. 2. vnicam præsentiam iuramenti à subditis Maximinianis præstationem, quam in moderni D. Archiepiscopi aduentu Anno MDCCXIII lite in aulâ Cæsareâ pendente, accipere tentarunt, & mox in Archiuum & Registra Archiepiscopalia est relata, sed alterata, & à sincera rerum gestarum veritate aliena, vt supra Sect. 8 §. 3. ostensum, & latè expositum est. Nihil dico de Iuramenti ipsius, quod Abbas Imperatori imperioq; præstat, formula, tam turpiter alterata. De qua etiam vide, quid loco allegato dictum sit.

Quis ergo exigat à Maximinianis, vt fidem habeant registris Archiepiscopalibus? Ostendunt lanè ista quantum ponderis habeant, ac quantum fidei mereantur illa, quæ ex eiusmodi libris proferuntur.

Sed ponamus reperiri testes nonnullos, qui asserant Abbatem Archiepiscopo, aliquid loco collectæ soluisse, an ignoramus, qua ratione, causa, circumstantia id acciderè potuerit?

Nempe violentis medijs, vt testatur Caroli Quinti Cæsaris mandatum ad Richardum Archiepiscopum Vallisoleto missum anno MDXXIII. quo seriò iubet Cæsar Vincentio Abbati restitui sexcentos florenos, quos dictus Archiepiscopus ab illo coactiuè exegerat. Mandatum habes sub N.

Simile exemplum experti sumus, cum nuperrime Maximinianorum bona Treurensum collectarum prætextu, via facti diripi vidimus, quamvis Imperiali decisione ac sententia aut immediatè ac recentissime lata, ab eisdem manifesto iure eximerentur. melior quidem opinio paullo post perillustri Capitulo (interim dum Archiepiscopus abest regimini præfato) resedit, cuius nomine, cum malis suasionibus, vt sit, eadem Abbatia itidem in Treurense collectas imposita fuisset, & ad 13000. onerata: errore istius impositionis ostenso, Protectoris etiam autoritate per litteras interposita, volentes lubentesque magni illi Capitulares viri æqui rectique amantes, & Iustitiæ obseruantes, ab eadem præensione destiterunt: attamen verum est illo ipso actu impositas fuisse collectas, & impositas fuisse in posterum probabitur; an & ideo possessas, præscriptas, debitas?

Deinde nota est Hersaunica fœderatio, quam Sectione 8. allegatâ, enarrauimus, ob illam & conuenire, & sumptus fieri, & nummos aliquando colligere oportet.

Sed & casibus, & ocaisionibus occurrentibus, quibus inter populos tam vicinos, atque adeo inter se inuicem mixtos, necesse est ad commune aliquod malum euitandum aut repellendum, aut receptum resarciendum, pecuniam aliquam congerere; an non licebit eis, siue per se, siue per sua capita, aut superiores, conuenire, consilium inire, de necessitatibus decernere, iisdemque, quouis modo prospicere aut satisfacere?

Quid verat, etiam duos vicinos status, collectas ab vtroque immediatè Imperio præstandas in vnum locum congerere aut conferre, vt minoribus



sumptibus ab vno latore in Fiscu Cæsarei ærarium inferantur?

Quis iam è talibus concludat Abbatem Archiepiscopo contra notorium Monasterij sui Ius, ipsorum Archiepiscoporum certam scientiam, per singulas inuestituras successiuè refricatam, contra tot manifesta Documenta, tot immediati status notas, actus, exercitia, subiectum? Territorialemque Iurisdictionem in eum Archiepiscopo acquisitam, eundem Abbatem à suo Imperialis status gradu, prærogatiuis, dignitate deiectum? Ius collectandi ac omnino omnem Iurisdictionem Territorialem contra illum præscriptam? non obstantibus omnium Dominicalium iurium exercitijs contrarijs?

Artic. vltim. Per sententiam Ferdinandi Secundi Cæsaris, tollitur omnis de præscriptione dubitatio.

VT tandem de possessione præscriptioneque omnis refecetur quæstio, neque vllus amplius locus sit disceptationi, rem habent iudicatam Maximiniani, Sententiam, inquam, Cæsaream Ferdinandi II. parte prima à nobis exhibitam, vti & in ipso sub lit. N. perquam Maximiniani, in sui immediati status possessione, iure ac iustitia conseruati sunt, & Archiepiscopis inhibitum, ne turbent.

Virtute cuius sententiæ possessionisque per illam adiudicatæ contraria prætena possessio, ex illa præscriptio reiecta ac condemnata est.

Immo, etsi vnquam exceptio ex præscriptione hætenus competijset, tamen post eandem possessionem à vero Domino recuperatam, nulla superesset actio præscribenti, præsertim malæ fidei, ad eandem rem à Domino aduocandam ex *l. Si quis 8. §. quod si quis & ibi glos. C. de præscript. 30. vel 40. annorum.*

SECTIO VNDECIMA.

Sententia Camere Imperialis Anni MDLXX. Maximinianis non obstare, sed potius contra Archiepiscopos stare ostenditur.

IN causâ illâ in Imperiali Camerâ ventilatâ inter Cæsareum Fiscalem Actorem ex vna, contra & aduersus Archiepiscopum Treuirensẽ Electorem Eximentem, & Abbatem S. Maximini Exemptum Reos (vt fert causâ qualitas) altera partibus, tandem secuta fuit sententia in libello lit. K. signata, perquam nominati Rei ab actione instituta absoluti fuerunt, estque illius tenor talis.

17.
In der Exemption sachen des Kayserslichen Fiscals Klagers an einem / gegen vnd wieder Herrn Jacoben Erzbischoven zu Trier Churfürsten Eximenten / vnd den Abten zu S. Maximin Exempten beklagten andern theils: ist allem vorbringen nach rechts erkent / daß gedachte beklagten von angestelter Klag zu absolviren vnd erledigen seyen / wie wir sie auch hienit absolviren vnd erledigen: die Gerichtskosten derhalben vff-

gelossen

geschlossen auß bewegenden vrsachen gegen einander Compensierendt vnnnd verglei-
chendi.

Hoc est.

In causa Exemptionis Cæsarei Fiscalis Actoris ex vna, contra & aduersus
Dominum Iacobum Archiepiscopum Treuirenses Electorem Eximentem
& Abbatem Sancti Maximini Exemptum Reos altera partibus, secundum
omnia allegata in iure decretum est, prædictos reos ab institutâ actione ab-
soluendos & liberandos, esse prout hisce eos etiam absoluimus & liberamus,
expensas iudiciales idcirco factas ex causis mouentibus hinc inde compen-
santes.

Ex illa magnos triumphos erigit Scriptor, sed mus est ex montium partu.

Summarium rei tale est. Fiscus cura fuit in illa lite collectas Imperio debitas
perquirere, conseruare, inferre, ad earum solutionem actionem instituit, ab il-
lis absolutus est Abbas, pariterque absolutus est Archiepiscopus, ne vllas pro
Abbate penderet.

Petiit quidem etiam Fiscus, vt Abbas declararetur esse Imperio immediatè
subditus, sed & petiit non tanquam suæ actionis finem, sed tanquam causam
ac medium in ordine ad fundandam collectarum petitionem; de illa imme-
diationis petitione per absolutionem dispositum non est; sed etsi de illâ dispo-
situm esset quoad Fiscum, siue quoad Fiscus petitionem excludendam, non ta-
men ideo de eadem dispositum esset quoad Archiepiscopum, neque censendus
esset condemnatus Abbas, vt Archiepiscopo subditus sit.

Quæ omnia paulò latius, idque vt opinamur claris rationibus deducemus,
ac primum in genere.

*S. I. Quod nulla condemnatio in sententia contineatur,
per quam Abbas, Monasterium à suo Impe-
riali statu dejectus sit, ac in subiectionem
Archiepiscopi redactus.*

Absolutus est à Fiscus actione Abbas, vi cuius absolutionis sanè euicit ac
triumphauit in causâ, quod autem inde commodum retulisse illum exi-
stimas, siue quomodo eiusdem absolutionis dispositionem Abbati fauo-
rabilem expones?

Hocne modo? Absoluo te Abbas institutâ à Fiscus actione, id est, con-
demnando te, vt sis Archiepiscopo subditus, vt à tuo illi illustri gradu, ab
istâ sublimi Imperij status dignitate, à tantis prærogatiuis, priuilegijs, ho-
noribus, dignitatibus exutus sis, ac in infimæ subiectionis squalore ac one-
re deinceps contra tua illa, tantis auimis à te tuisue Prædecessoribus de-
fensa iura, iaceas ac luceas, miranda sanè, imo stupenda fuerit ista Vi-
ctoria.

Et quis sensus etiam simplex, naturalis, vel primo intuitu tali Commento
non repugnet?

Difficile itaque tibi erit, Scriptor, talem Abbatis condemnationem ex eiuf-
dem absolutione corradere.

Intentionem illam tuam manifestè probes necesse est, debes habere rem
claram, quia in dubio interpretatio fit contra eum, qui se fundat in sententiâ

& ver-

& verbis sententiæ. *Card. Tusch. verb. sententia, concl. 125. num. 53. & 99.*

Stricti iuris est sententia, & ex ea plus non probatur, quam ex ea necessario inferatur. *Id. ibid. n. 57.*

Non continet, nisi id, quod in ea reperitur expressum, quod ommissum est in illa, habetur pro omisso, & non extenditur ad non expressa. *Ibid. n. 60. 62.*

Tantum disponit, quantum verba sonant. *n. 89.*

Subauditionem non admittit, neque tacitum intellectum, quia tacite proferri non potest. *n. 97.*

Immo neque sufficeret, quod Iudex ita sensisset tacite, ac interpretari vellet, nisi intentio transierit in dispositionem. *Idem Tusch. ibid. n. 4.*

§. II. Probatur illud ipsum à particularioribus rationibus.

Ponas (quod non est) Fiscum unice in hoc egisse, ut Abbatem siue Monasterium, aut eorundem Dominium vindicaret, & in suam subiectionem affereret, & ab illa petitione siue vindicatione absolutum esse Abbatem atque etiam Archiepiscopum, neque tamen per illam absolutionem dispositum fuerit, quod Abbas Archiepiscopo sit subditus.

Si quidem in rei vindicatione absolutio simplex, nihil de Reorum iure statuit.

Adeo, ut eidem Actori, à quo Reus absolutus fuerat, possessionem postea nacto, non obstat rei iudicatæ exceptio contra ipsum reum hætenus absolutum, rem postea vindicantem. *Textus est in l. ex sextante 30. §. latinus largus. ff. de exceptione rei iudicatæ, his verbis: Quod si possessor absolutus, amisit possessionem, eundem ab eodem, qui prius non obtinuit, peteret, non obstat ei exceptio, nihil enim in suo iudicio de iure eius statutum videretur.*

Cuius dispositionis summarium glossa ibidem ponit his verbis: *Petij à te fundum rei vindicatione, & fuisti absolutus, postea desisti possidere, illum fundum, & ego cæpi possidere, si tu eum vindices, & ego dicam fundum meum esse, non tuum, non obstat mihi prima sententia, in qua tu fueras absolutus à petitione meâ, cum per hoc non fuerit iudicatum, tuam esse rem, hæc glossa.*

Textus est similis in fortioribus terminis, scilicet in casu, quo de Actoris non iure iudicatum esset, *in l. si inter me & te 15. ff. cod. his verbis: Interest utrum meam esse hereditatem pronuntiatum sit, an contra: nam si meam esse, nocebit tibi rei iudicatæ exceptio, quia eo ipso, quod meam esse pronuntiatum sit, ex diverso pronuntiatum videtur tuam non esse, si verò meam non esse, nihil de iure tuo iudicatum intelligitur.*

In rei vindicatione Reus habet duo iura; unum est, quod Actore non probante absolvitur; aliud, quod ipso Reo probante, res pronuntiatum esse sua. *Cyn. in l. Actor. C. de probat.*

Atqui pro Reo res non est pronuntiatum esse sua, ergo ex defectu probationis Actoris, absolutio secuta fuit, non ex probatione proprii dominij ipsius Rei.

Deinde, cum Actor non probavit, Reus autem probavit, iudex Reum absolvit, causa adiecta, ut quia Reus probavit de iure suo; sed si uterque probavit, non potest absolvere Reum per expressionem causæ, sed debet simpliciter absolvere. *Card. Tusch. verb. sentent. conc. 130. n. 2.*

Atqui iudex simpliciter absolvit non adiectâ causâ, ergo Reus non probavit,

uit, sed ex defectu Actoris in probatione absolutio contigit. *Didac. Couarr. var. res. lib. 1. cap. 1. n. 8. verb. & id apparet eâ ratione. gloss. in l. si quis ad exhibendum, ff. de excep. rei iudicata.*

Adde ipsam voti confessionem, qua asserit de dominio probationes fuisse intricatas, neque magis operari potuisse, quàm ut onus probandi reijeerent in Fiscum, cui itaque ex ipsa agentis qualitate, iam à principio, onus illud incumbere poterat, ita ut illo in eadem probatione deficiente, absolutionem sequi oportebat non ob Dominium probatum à Reo, sed ob non probatum Dominium ab Actore.

§. 3. Idem præterea demonstratur fortioribus terminis.

Dico amplius quòd, immo, etsi in sententia dictum ac pronunciatum fuisset, quòd Fiscus in sua immediationis petitione fundatus non esset, ideo, quia Archiepiscopus Dominium suum probasset, tamen neque ideo contra Abbatem rem iudicatam haberet Archiepiscopus.

Ratio est, quia sententia ad fauorem plurium litis consortium (quales fuisse Archiepiscopum & Abbatem obtendit votum ac libelli scriptor) contra tertium lata, non parit rem-iudicatam inter ipsosmet litis consortes, postea inter se litigantes. *Card. Tusch. verb. sententia. Concl. 125. n. 5. alleg. Bald. conf. 309. cum essent plures n. 2. lib. 1. Ant. de Butr. Conf. 77. visis actis, col. 2. Corn. Decium &c.*

Rationem ponit, quia, inquit, cum inter ipsos ad inuicem non esset lis neque petitio aliqua, diceretur lata super non petitis & non valeret. *Id. ibid.*

Item in casu conuerso, sententia lata contra plures, non facit rem-iudicatam inter eos, ex quo inter se non litigabant *ibid. n. 55. & conu. 131. n. 5.*

§. 4. Quòd lis aut Contestatio non fuerit inter Archiepiscopum & Abbatem, ac si fuisset, magis obesset sententia Archiepiscopo.

AN fortè dices litem extitisse inter Archiepiscopum & Abbatem, petitionemque siue Actionem ab Archiepiscopo contra ipsum Abbatem in hoc institutam fuisse, ut ipsi declararetur subiectus Abbas?

Docent acta quòd non, ac quòd quidem contestatus fuerit Archiepiscopus super immediatione contra Fiscum, sed non contra Abbatem, neque vicissim Abbas contra Archiepiscopum, imo neque contra Fiscum.

Sed etsi præsupponeretur Archiepiscopum contestationem petitionemq; intentasse contra Abbatem, magis noceret illud Archiepiscopo, illique obesset res-iudicata.

Si quidem absolutus fuit Abbas indefinitè ab institutâ, in illâ causâ, actione, si ergo Archiepiscopus in illa causa actionem contra illum non minùs, quàm Fiscus instituit, inde sequeretur, quòd ab illo non minùs, quàm à Fisco absolutus sit.

Sed, ut deesset absolutionis expressa iudicatio, tamen præsupposita tali, Archiepiscopi contra Abbatem petitione, censeretur ab illa exclusus, ex eo ipso, quòd non sit adiudicata, si opinionem illorum spectemus, qui, quòd ex petitis adiudicatum non est in sententia, eo ipso abiudicatum censi tenent, neque

amplius peti posse, *l. iudex 55 ff. de re iudic.* quæ sic habet, *iudex posteaquam semel sententiam dixit, postea iudex esse desinit, & hoc iure utimur, ut iudex, qui semel vel plurius vel minoris condemnauit, amplius corrigere sententiam suam non possit, semel enim, seu male, seu bene officio functus est.*

Quod si aliorum opinionem spectes dicentium, omiſſa in ſententijs haberi pro ſimpliciter omiſſis, de quæ ijs adhuc poſſe peti iudicationem, quid aliud inde haurias, niſi quòd omiſſa erga Archiepiſcopum Abbatis condemnatio, habeatur pro ſimpliciter omiſſa, ſuperſitque ſolum, ut de illa petere poſſit iudicationem.

§. 5. Quod magis eſt, oſtenditur non eſſe Abbatem Archiepiſcopumque abſolutos à petitione immediationis, ſed à petitione Collectarum.

Iſta quæ hætenus deduximus, dicta ſunt ſub præſuppoſitione facti non exiſtentis, quàm enim longè ab omni ſenſu alienus ſit ille intellectus, ſupra tetigimus; ſed & ſubſequentibus rationibus latius id ipſum manifeſtabitur, ex eo, quod non à ſtatu, ſed à collectis abſolutio iudicata ſit, ac cùm illas non debuerit Abbas, ab illis immunis: iure meritoque factum ſit, ut nec ipſe pro ſe, neque Archiepiſcopus pro illo eaſdem præſtaret.

Quod ut ad oculum dignoſcatur, animaduertendus eſt Fiſci Actoris finis, in quem ille intentionem ſuam ultimo ac principaliter dirigebat.

Qui finis erat collectarum Imperialium ſolutio, adeo, ut Collectis ſiue Contributionibus præſtitis, ſollicitus non erat Fiſcus, cui parentent ſtatus Imperij.

Sed cùm ad collectarum debitum inferendum immediata ſubiectio eſſet medium concludendi utile, illam poſuit ac deduxit Fiſcus.

Petijt ergo pronuntiari Abbatem ad Imperium immediatè pertinere, ſed tanquam medium & cauſam iudicandi non tanquam ſuæ actionis vltimum finem, qui ſolus attenditur, ſemper enim attenditur finis, vbicunq; vnum procedit ab altero tanquam præambulo. *Card. Tufch. verb. finis, conc. 378. nu. 8. alleg. Pet. de Anchar. conf. 28. n. 6. & 7.*

Finis eſt id, quod primum eſt in intentione, vltimum in executione, idem *Tufch. ibid. n. 11.*

Semper ſpectanda eſt intentio gerentis actum, ut ſi plures cauſas æqualiter habeat in intentione. vel vnam principaliter, ſic actus reguletur. *Idem Tufch. verb. intentio Conc. 270. n. 2.*

Vnde ſit, ut conclusio libelli terminus à DD. appellatur. *Gai. lib. 1. obſer. 61. n. 15. alleg. Bald. in l. edita, &c.*

Tanquam id quod extremum ſit in libello.

Atqui, ut ſupra dictum eſt, finis iſte, Actoris Fiſci terminus, extremum ſiue ſcopus, in quem principaliter collimabat, in collectarum ſolutione conſiſtebat.

Adeo, ut ſi Fiſco adiudicata immediatio fuiſſet, Collectæ autem abiudicatæ, intentioni ſuæ nullatenus ſatiſfactum cenſuiſſet; cenſuiſſet autem, ſi collectæ adiudicatæ fuiſſent, etſi immediatio abiudicata.

Conſtat illud ex ipſa Imperiali conſtitutione anni 1548. ex ipſiusque Imperij intentione, quæ & ad collectas contributioneſque dirigebatur.

Ac cæterum non multum curabat constitutio, uti neque (ad illam conformiter) Fiscus, cui pareant status Imperij, modò Contributiones soluerentur.

Testatur illud & ipsum votum, versic. concludo igitur. pag 87. & ex ipsius Constitutionis textu constat, §. *vnnd als/* qui ad hoc, ab eodem voto citatur in hæc verba: *Et quia recessus Imperij apertè Fiscali mandat, quod is ratione contributionum hosce processus insituere debeat, eaque principalis sit insentio Imperij, cum, ut ex §. vnnd als/x. patet, non multum curet, cui pareant status Imperij, modò Contributiones soluantur, &c.* hæc votum.

Agnoscit & illud iterum in fine pag. 146. vers. Pro conclusionis hesternæ, &c. ubi cogitur tandem fateri, ac dicit se negare non posse prædictum Monasterium esse membrum Imperij, cum ipse Archiepiscopus hoc fateatur, nec quoad hoc elisam esse intentionem fiscalis recognoscit, *sed tamen quia hoc in alium finem non videtur dicere Fiscalis, nisi ut principaliter habeat collectas* (verba voti) ideo absolvendum esse Reum opinatur, non à qualitate Membri Imperij, quæ in confesso est, & Fisco pro medio erat, sed à Collectis, quæ principaliter in petitione proponebatur.

Constat istud idem ex ipso fiscalis facto qui alternativè conclusit, ut immediatè Abbas solueret Collectas, si status immediatus esset, vel mediatè si non esset, ut ex actis videre est, & in ipso voto habetur. Vers. Conclusionem libelli pag. 84.

Constat etiam ex ipso modo concludendi in Imperialis Cameræ testimoniis, lit. P. in libello signatis, relato, *Pesijt decerni & pronunciari, quod dictus Abbas ad Imperium spectet, ac proinde omnes Imperij collectas soluat &c.*

Ubi notanda sunt verba ista, *Ac proinde*, quæ conclusionis illationem ex præmissis siue medijs inducunt.

Atqui Iudex absolvendo Reum, non disponit de petitionis medijs siue præmissis.

Si exempli gratia, Creditor agendo posuerit, Reum à se emisso fundum Cornelianum, concluderitque sub hæc elausulâ, ut fieri solet, *Pesit declarari narrata esse vera, ac proinde ad solutionem pretij condemnari*, sitque verum emptionem esse initam sed per solutionem vel acceptationem liberatus sit Reus, Iudex absolvet Reum.

Quid pronunciatum esse censebitur? non quod non sit verum contractum in initum esse, sed quod solutio non debeat.

Egit Fiscus ad solutionem collectarum, quia Abbas immediatè esset subiectus, absolutus est Abbas: quid pronunciatum esse censebitur? non quod Abbas immediatè subiectus non sit, sed quod ad solutionem non teneatur.

In ipsis nostri casus terminis, si quis agat ad exigenda seruitia ab eo, quem suum Vasallum esse asserat, & hac formâ petitionem instituat, *Pesit declarari illud meum esse Vasallum, ac proinde ad seruitia mihi præstanda teneri*, Vasallus autem et si Vasallus sit, liber à seruitijs nihilominus existat per investituram vel pactum, Quid faciet Iudex? dubio procul absolvet Reum, Per absolutionem autem à quo illum liberâsse censebitur? nempe à seruitiorum præstatione, nõ autem à Vasallagio, siue à Vasalli qualitate.

Si fundi Semproniani dominus contra detentorem agat ad fructus ab eo perceptos restituendos, concludatque: *Se dominum declarari, ac proinde ex dominij jure fructus ad se pertinere, detentoremque ad eorundem restitutionem condemnari*: sit autem detentor usufructuarius, illaque exceptione dominum repellat,

Iudex autem ab institutâ petitione Reum absoluat, non vtrique actorem à Dominio excludet, sed ab eo, quod vltimum est in petitione, fructuum scilicet restitutione.

Multa talia reperies exempla ex quibus conuincitur absolutionis vim illam non esse, vt actorem à Dominij iure excludat, et si Dominium etiam in petitione propositum sit.

s. 6. Quod causæ sint notabiles eæque peremptoriæ, ob quas absolutio à Collectis contingere potuit, etsi Abbas in processu non sit repertus esse Archiepiscopo subiectus.

Longè suffecerit ostendi in genere ita esse, quod Dominium pro medio propositum non fuerit decifum, neque quoad fiscum. neque quoad Abbatem per conclusionis ad Collectas iudicationem.

Sed tamen & particulares nobis supersunt rationes, ob quas neque opus fuerit, vt de illo Dominij medio sollicitus fuerit iudex in ordine ad Abbatem ac etiam pro ipso Archiepiscopum ab eisdem collectis absoluendum.

Ac in primis hæc illa planè peremptoria exceptio, quod à Collectis Imperialibus sit Abbas, et si status sit Imperii idque per priuilegium Ottonis, ac præcipuè per pactum cum Henrico Imperatore Sancto initum, quo ab oneribus istis titulo longè oneroso Maximiniani liberantur, Vti & per alia aliorum Principum Diplomata cap. 1. Sect. 2. relata.

Quæ in processu seridè considerata ac ponderata fuerunt, quemadmodum ex ipsius voti textu (quem isto loco diuinâ permittente prouidentia libelli Scriptor edidit) expressè manifestatur, pag. 137. nu. 269. Vers. *Vltimo quoque modo.* Vbi ipse voti auctor contendit, asserit quod Abbas tutus sit; secunda ratione, scilicet hac exceptione, quod priuilegiatus sit ab istis oneribus his verbis; *Vltimo quoque modo alio Elisionis tutus est Abbas, quod videlicet priuilegiatus sit ab istis oneribus, id enim Ottonis priuilegium datum. Anno. DCCCC. LXXXIV. Quinto Calendas Iulij fol. 20. Henrici datum Calendis Septembris Anno. MXXXIII. Confirmatum à Carolo IV. & reliquis & pro Archiepiscopo, idem facit Maximilianus. I. in dicto priuilegio 1. Iunij Anno 1590. vbi nonnulla prædia, inter quæ & hæc, Monasteria quæ adiecta sunt Archiepiscopatus, LIBERTAT. vt loquitur. hæc votum.*

Quid manifestius esse aut dici queat? Sed jam age (Scriptor) quibus probationibus conuincens non ob illam immunitatem absolutionem contigisse? Ab isto te expedi.

Sed & præclarum illud est in illa genuina positione, quod ex ea euincitur actionem ad Collectas fuisse, non ad immediationem, quæ enim immunitas à Collectis per pactum concessa, tueri potuisset Abbatem a petitione immediatæ subiectionis, cum manifestum sit Immunitatem talem Imperii statui concessam non derogare immediatæ Status qualitati.

Ad ista concurrebat præterea illud, quod tam in voto, quam in processu ab Archiepiscopo ponitur ac deducitur, Monasterium ab Immemoriali tempore collectas Imperio non soluisse, neque vllas fiscus probationes produxit ad probandam illam solutionem, Vnde ista immunitas titulis fundata, confirmabatur

Vsu ac facto saltem quatenus iudici constare poterat.

Itaque nunc probes ob aliam causam, quam ob immunitatem, iudicatam esse absolutionem.

*S. 7. Quod neque inferri possit Abbatem iudicatum esse
Archiepiscopo subditum, etsi sententia in longè
fortioribus terminis esset
concepta.*

Quod magis est, etsi absolutio à Collectis iudicata fuisset hac expressa causa, quia Abbas Imperio immediatè subditus non esset, neque tamen ex eo iudicatum foret Abbatem esse Archiepiscopo subditum, neque eidem Archiepiscopatui obnoxium.

Ratio illa est iam hæcenus deducta, quia negatio dominij siue juris, in Actore non ponit dominium in Reo.

Addo amplius, quod neque Abbatis subiectio pro Archiepiscopo efficaciter iudicata censeretur, etsi hæc causa expressa foret, quia Archiepiscopo subditus esset Abbas.

Ratio est, quia Archiepiscopus et Abbas inter se super eo non sunt contestati, sed quasi lites consortes contra Fiscum & tanquam illum coniuncta exceptione intentioneque repellentes in processu habiti fuerunt.

Atqui illa, quæ deducuntur in sententia per modum causæ pariunt effectum rei iudicatæ, præsertim inter eos, qui super eadem causa non sunt contestati, unde si in sententia dictum sit talem teneri ad onera & grauedines, quia est usu-fructuarius, hoc dictum per modum causæ, non excludit, quin possit cognosci & principaliter discuti de usu fructu. ita Card. Tusch. Verb. Sententia. Conc. 131 n. 5. alleg. 10: And. in c. cum Ecclesia.

*S. 8. Aliis rationibus probatur per eandem spirensen sen-
tentiam de statu Monasterij non esse
iudicatum.*

Ista dicta sint sub istis præsuppositionibus, à quibus, quam longè res ac ipsa veritas absit, nemo est qui non videat.

Sed præterea supersunt non modicæ rationes, quæ præsentem subiectionis iudicationem refutant.

Si enim Abbatis subiectionem Archiepiscopo addicere intendisset Camera, quid facilius fuerat, quam illud exprimere? poterat enim vel verbo in textum inferri.

Immo, etsi addicenda fuisset, obstringebantur id exprimere, non solum ex ratione Iuris, sed & specialiter ex dispositione constitutionis Imperialis MDXLVIII. § *Undt sollt.*

Cum autem id non expresserit, sequitur neque ad iudicasse.

Qui enim providet in certis casibus, censetur in ommissis non voluisse providere. Card. Tusch. Verb. Omissum. conc. 116. n. 44. Alexand. conf. 158. n. 10. lib. 6.

Qui disponit de vno, de alio omisso censetur non velle disponere, quia si voluisset; sicuti de vno disposuit: ita etiam de omisso disposuisset. id. ibid. n. 70. Cap. inter corporalia de translat. Prælat. Alexand. conf. 46. n. 6. in fine lib. 2.

Is, qui loquitur contra id, quod apparet expressum, dicitur diuinare, quia non probat quod dicit, & intellectus diuinatus non admittitur in iure. Idem Tusch. ead. conc. n. 76. L. si putator. ff. de L. aquil.

Quod non cantat Instrumentum vel scriptura, nec ego cantabo, ideo omis- sum habetur pro omisso, Idem Tusch. eod. Verb. omisum. concl. 115. n. 6.

Quod non est expressum, censetur neglectum & in omis- sis non præsumitur tacita voluntas, quia si voluisset, expressisset. id. ibid. n. 7.

Omisum autem dicitur, nisi palam Verbis exprimat- ur idem ead. concl. 115. n. 1. l. quidquid adstringendæ. ff. de verb. oblig.

Et omisum dicitur quod non fuit verbo expressum ibid. n. 2.

Dicitur omisum, quod non potest literaliter legi, & oculis inspicere non potest, in materia Statuti (adde à simili in sententiâ, quæ & ipsa stricti juris est) quia quod non legitur per fictionem intelligitur, quæ non habet locum in statu- tis ibid. n. 3. l. 1. in princip. ff. de ijs quæ in testam. delentur.

Prudens ergo senatus in re arduâ viam secutus est, per quam non solum contra Abbatem subiectionis Archiepiscopalis condemnationem non tulit, sed ne- que contra Fiscum id ipsum pro Archiepiscopo dedit, vti neque decidere opus fuit.

Idque ex ipsa actionis institutæ naturâ, fine & subjecto, quæ circa collectas ver- sabantur, à quibus Maximinianos immunes repertos, per absolutionem li- berari congruum erat, etsi Imperio immediatè subjecti essent, atque adeo etiam ipsum Archiepiscopum ab eorum onere, quod nullum à nemine debeatur absolui.

Absoluti ergo sunt Abbas & Archiepiscopus a Collectis Imperialibus pro Monasterio pendendis, & meritò, quia collectas non debuit Monasterium ab illis immune, quocumque sit in statu.

*§. 9. Quòd per qualitatem Eximentis & Exempti in
sententia adscriptam, nihil quoq; de statu Mo-
nasterij decisum sit.*

Illud ita esse planè manifestum est, quia simplex est nominatio in qualitate causæ positâ, nulla autem illâ de re dispositio, decisio, neque iudicatio.

Nominati sunt Eximens & Exemptus, sed nominati, idque in qualitate causæ non iudicati, neque in dispositiuo sententiæ.

Immò quòd de eo dispositum non sit, magis facit contra Archiepiscopum ex rationibus hætenus deductis, nec insolitum est qualitatem, quam sibi tribuunt partes in processu, à iudice relinqui, non enim illa attendit, sed solam suam decisionem ac iudicationem.

Ac vt res ad oculum patefeat, reperies per totum illum processum Spiren- sem, ab ipso primo iudicij limine, in qualitate primorum actorum, ac in om- nibus interlocutorijs Recessibusq; à iudice in decursu causæ latis, planè nihil de causæ meritis decidentibus; reperies, inquam, Archiepiscopum nominatum ac positum esse Eximentem, Abbatem vero Exemptum, eodem planè modo,

quo

quo in sententia nominati positiq; existunt, acta ex illis aliqua, Interlocutorias ac Reccessus hic apponere visum est.

Anno 1549. 4. Nouembris.

In der Exemption sachen des Käys. Fiscals wieder Herrn Jacoben Erzbischo- uen zu Trier Churfürsten Eximenten/ vnd den Abten zu S. Maximin Princapalen/ Ist der beschewt/ souer sich D. Kaden vff nechst fiscalsch Gerichte nit zur sacht legit- mieren würde/ das als dan das gebetten Rueffen hiemit erkent sein soll.

In causa Exemptionis fisci Cæsarei, contra Dominum Ioannem Archiepi- scopum Treuirenssem, Electorem Eximentem, & Abbatem S. Maximini Prin- cipalem, hoc decretum est, quod, nisi D. Kaden in proximo fiscali Iudicio legi- timum causæ Procuratorem se probauerit, petita citatio rata habeatur.

Anno 1556. Veneris 23. Octobris.

In der Exemption sachen des Käys. Fiscals wird den Erzbischo- uen zu Trier Churfürsten Eximenten vnd den zu S. Maximin Exempten, läst man es bey der de- willigung der Commission vnd Commissarien halben den 28. Septemb. Anno & c. 55. geschehen/ bleiben/ vnd seindt D. Kaden 3 monas pro 2. dilatione probandi. (doch dem gegenheil ein vnparteyischen Notarium examini zu adiügi- ren vorthsal- ten) hiemit zugelassen vnd ange- setz.

Hoc est.

In causa exemptionis Cæsarei Fiscalis contra Archiepiscopum Treuirenssem Electorem Eximentem & Abbatem S. Maximini Exemptum, relinquitur id, quod circa commissionem & Commissarium 28. Septemb. Anno & c. 55 per- missum fuit, & Doctori Kaden tres menses pro secunda dilatione probandi (reseruatio tamen quod aduersa pars Notarium non partialem examini ad jun- gere possit) per hoc concessi & determinati sunt.

Anno 1557. 6. Octobris.

D. Kaden ist in der Exemption sachen des Käys. Fiscals/ wider den Herrn Erz- bischo- uen zu Trier Eximenten vnd den Abt zu S. Maximin Exempten sein begern prorogation der Dritten dilation halben beschewen/ hiemit zugelassen.

D. Kaden in Causa exemption fisci contra Dominum Archiepiscopum Treuirenssem Eximentem et Abbatem S. Maximini exemptum, conceditur petitio rogatæ prorogationis ob tertiam dilationem.

Anno 1562. 27. Februarij.

D. VVilhelm. Ist in der Exemption sache des Käys. Fiscals Cötra den Erzbis- chouen Trier Churfürsten Eximenten, vnd den Abt zu S. Maximin Ex- empten Copen seines gemeinen gewalts zu dieser sachen zu legen/ vnd auch zu beschließen/ zeit 14. Tag angezeit/ mit dem anhanck/ wo er solchen also nitt nach- kommenwird/ das als dan diese sacht für beschloffen hiemit angenommen sein soll.

D. VVilhelm in causa exemptionis fisci Cæsarei contra Archiepiscopum Treuirenssem Electorem eximentem & Abbatem S. Maximini exemptum, ter- minus 14. dierum copiam, ordinariæ suæ potestatis ad hanc causam exhibendi,

arque

atque etiam concludendi, assignatus est, hac conditione ut nisi hoc ita præstitit, causa hæc pro conclusa hoc ipso habenda sit.

An dices per illam actorum, interlocutoriarum recessuumque in qualitate Eximentis Exemptique nominationem iudicatos ac pronuntiatos fuisse eximentem & exemptum, antequam fuerit litis instructio, decisio, iudicatio, immo causæ cognitio?

At illud sanè dicere debes, si & dicere velis per nominationem in qualitate fieri iudicationem.

§. 10. Quòd neque de eodem statu iudicatum esset, et si idem eximendi factum dispositiuè inesset sententiæ.

Immo etsi iudicatum fuisset Abbatem ab Archiepiscopo iure eximi, neque tamen rem iudicatam pro se habeat Archiepiscopus in Abbatis subiectionem.

Primò, ob rationem sæpius antea tactam, quòd super eo non sint inter se contestati.

Secundò, quia ob priuilegium immunitatemque iurè meritoque potuit à collectis (de quibus actio erat) eximi siue à seipso, siue ab Archiepiscopo, siue à quocunque alio defensore.

Tertio, quia in terminis Imperialis istius constitutionis anni MDXLVIII, quæ huic actioni fiscali causam dedit ad collectas Imperij perquirendas ac inferendas, eximi aut exemptum esse non includit neque infert status subiectionem.

Probatur illud primò ex ipsa constitutione §. *vnd nach dem* / vbi habetur quod Imperij Circuli quosdam status à se inuicem eximant.

Et tamen in Circulo esse, ac per illum ex alio Circulo eximi, non excludit immediatatem status sub Imperio, quilibet enim Circulus diuersos Imperij Principes ac status à se inuicem nullatenus dependentes complectitur.

Probatur etiam ex eadem constitutione Imperiali anni MDXLVIII. §. *vnd als*, vbi habetur, quod aliqui Imperij status, alios eisdem Imperij status eximant, exemptorumque collectam soluant, quòd, ut liberè fiat, permittit constitutio, dum exempti in id consentiunt, quia (inquit constitutio) nihil facto Imperio per hoc de suis contributionibus & iuribus abscedit.

Vnde infertur per exemptionem quoad collectas nihil tolli de Iurisdictione immediatâ Imperij in suos status, alioquin ab Imperio abscederet ius illud suæ immediatæ Iurisdictionis.

Item infertur quod non sit incompatible eximi ab aliquo, & nihilominus esse Imperij statum, atque adeo non esse alteri statui subditum, quoad Iurisdictionem, neque quoad aliud adhærere, quàm quoad quandam societatem ad collectarum Imperio debitaram pensionem.

Neque enim congrua est illatio illa, quæ in voto deducitur versic. 5. *Potest esse*, his verbis: *Potest esse status Imperij, & non Imperio immediatè contribuere, & in aliorum statuum contributione siue angeschlossen esse, & sic patet statum Imperij alteri posse esse subiectum.*

Illa inquam consequentia, & sic patet &c. non rectè infertur.

Melius hæc, & sic patet statum Imperij per contributionem Imperio simul cum Eximente inferendam, non fieri Eximenti subiectum, neque definire esse Imperij statum.

Siquidem status Imperij esse non potest, qui non immediatè stat sub Imperio, aut qui in alio statu confusus, subiectus, ac quodammodo extinctus est, quasi gradum, ordinem nomenque perdens per subiectionem; status enim ille est, qui suo proprio capite, ac per se ius habet standi in Imperio, membrumque facit in ordinibus, consilio, Comitijs &c.

Ceterùm, nouum non est duos, aut plures status à se inuicem independentes, quoad quid, per societatem coniungi, remanere tamen in independentia, quoad iurisdictionem, autoritatem, statusque essentiam velut inter alios, in Heluetiorum statu, alijsque similibus exempla docent, vbi diuersæ Respublicæ sibi inuicem nullatenus subditæ, sed suo vnaquæque statu consistens, habent ex fœderibus pactisque inter se initis diuersa communia ac coniuncta, Arcam, pecuniam, domania, neque ideo in vnum confunduntur statum, aut vnus alteri subiicitur, quemadmodum à Ioanne Bodino tractatur lib. i. de Repub. cap. 7.

Cuius rei hanc dat rationem, Quia, inquit, ordines communes, domanium commune, Comitua communia, Amici aut Inimici communes, non efficiunt vt status sit communis, etiam si esset bursa quarũdam pecuniarum communiũ, verum id quod statum communem efficit, est potestas suprema, ius ac legem dandi quisque suis subditis, vt in casu simili, si plura familiarum capita societatem omnium bonorum coiussent, non ideo vnam eandemque familiam constituerent, hæc ille.

Ita vt nihil sit incongrui quoad quandam societatem (quam libero statui liberum semper est deserere & soluere, ac eidem renuntiare) coniungi non tam è subijci, vt hic in causa exemptionis, quoad collectas imperio præstandas.

Præterea notandum est in eadem constitutione eodem §. vñd als x. in casu illic tractato, scilicet cum Imperij status aliquis consentit, se ab alio statu quoad collectas siue contributiones soluendas eximi, notandum, inquam, est, quòd si contributio status exempti non soluat ab Eximente, potest Fiscus contra exemptum immediatè solutionem prosequi, vnde sequitur immediatum erga Imperium contributionum debitum immediatamque exigendi potestatem in illos exemptos retineri, non obstante Eximentis Exemptique nomine siue qualitate.

Quæ omnia ex abundantia hinc deducuntur, vt eo clariùs vndequaue appareat debile Archiepiscopi erga Maximilianos fulcrum, quamuis istis cessantibus aliunde plus satis, diuersis ex causis rationibusque subuertatur, denique ex eodem abundantia diuersa alia hinc tractare pergemus, ac inter illa.

S. II. *Quod nullus Abbatis consensus ex prætenso illo Spirensi processu Monasterio obijci aut officere possit.*

EX eo, quòd in processu Spirensi Archiepiscopus simul & Abbas reperiantur in actis, scripturis, exceptionibus simul contra Fiscum coniuncti: quasi Abbas ipse Archiepiscopo annuat, & contra Fiscum suam immediationem sub Imperio recuset; emergere posset hæc cogitatio, quòd saltem Abbas consenserit in Archiepiscopi subiectionem.

Verùm si ita esset, tunc sanè Abbas, aut quisquis illius, aut Monasterij nomen induit, de Monasterij causa præuaticatus esset, iura, statumq; illius profligasset, perdidisset. *l. præuaticatores 212 ff. de verb. signif. l. 1. ff. de præuaticat.*

Atque etiam insigniter colluisset, vt enim collusio lusus sit inter duos, vt ait Gothof. *in rubrica ff. de collus. detegenda.* hic sanè splendida peracta esset fabula.

In istud consenserit contra id, quod tantis animis, tanto labore, studio, sollicitudine, à Monasterio ab omnibus retro sæculis defensum, actum, probatum, per ius ac iustitiam euiectum, obtentum, adiudicatum fuit? quæ ista rerum perditio, proditio fuerit?

Atqui Prælatus, aut quilibet alius, siue gestor, siue procurator, cum præuaticatus est, nunquam nocet Ecclesiæ. *Socin. regula 17. Card. Tusch. verb. Prælatus, concl. 503. n. 9.*

Neque magis nocet, aut valere potest vlla sententia, dum collusio intercessit, *tot. tit. ff. de collus. de reg.*

Immo neque dum nuda Prælati contumacia interuenit. *Præses Faber Cod. Fabriano, lib. 7. tit. 22. quib. res iudic. non nocet, defin. 11.* cuius verba hîc adscribere non abs re fuerit.

Sententia, inquit, contra Prælatum lata nocet Successori, ipsædemque remedijs opus est ad rescindendam iudicati auctoritatem, quibus opus esset, si is ipse Prælatus uideret qui condemnatus est, sed hoc ita si non per Prælati contumaciam aut collusionem iudicatum sit, his enim casibus saluam successori defensionem esse conuenit, adeo, ut etiamsi Senatus-consulto decisa res fuerit, non indigeat successor ciuili supplicatione, nimirum fauore Ecclesiæ, cui nocere improbi Prælati contumaciam aut collusionem non oportet, quo minus ex integro de partium iure cognoscatur. hæc ille.

§. 12. Quòd allegatio talis consensus manifestet, quòd nec Abbas, nec Monasterium in illa lite adfuerint, uti neque de facto adfuerunt, ac proinde quòd quidquid in ea agi, dici, ac Iudicari potuerit, Monasterio obesse nequeat.

VT iste similis consensus, aut talium Abbatis propositionum allegationes, contra Monasterij essentialem statum, non solum rationi, sed & simplici naturali sensui manifestè repugnant: ita & eidem sensui ac rationi primo intuitu ingeritur fieri non potuisse, ut vllus à Monasterij parte, isti liti, in qua talia proponebantur interfuerit, ac proinde quòd nihil illorum, quæ agi, quæque fieri potuerunt, siue in medijs, siue in extremo, siue in allegationibus, siue in iudicatione, per quæcunque actitata, per sententiam vllam, qualem qualem esse obtendere velis, Monasterio obesse aut præiudicare potuerit. *tot. tit. C. quib. res iudic. non nocet. l. licet 24. Cod. de Procuratorib.*

Ac quod de facto res ita se habeat, respice processus acta, videbis nullum ad hanc causam à Monasterio, vel ab Abbate constitutum fuisse Procuratorem, nullam pro illius iurium conseruatione defensionem esse propositam, tantummodò in extremo processus fine, causæque conclusione obtrusum fuisse illum, de quo supra narratio facta est, procuratorem, qui sub prætextu generalis mandati ob alia negotia dati, in hac adeo momentosa causa comparuit, ad hoc ipsum, ut potestatis suæ defectum indicaret, neque de defensione, de rebus ad merita causæ Maximinianæ pertinentibus verbum protulit.

Sed Archiepiscopus ille, qui cum Archiepiscopus esset simul & Abbas, per Commendam, omnia molitus est, dixit, fecit, quæ Monasterij statum diruerent, quamuis illorum, quæ in illo processu dixit, contraria omnia ante dixerat Imperatoriæ Maiestati Imperioque.

Cætera ad hoc propositum latius deducta in narratione, voti refutationem

præcedente, hinc non repetuntur, illic videre licebit.

Vt is talis obesse posset, talis processus, consensus, iuris refutatio, renunciatio, donatio, profligatio, sed illius iuris, in quo tanti momenti status ac ipsa quodammodo essentia Monasterij consistit, non solum requireretur Abbatis simul & Capituli mandatum, non tantum generale, sed speciale ac expressum: verum & omnes illæ causæ ac solemnitates, quæ ad donationem rerum potissimum Imperialis Monasterij requirerentur, quorum nihil hinc interuenit.

Renunciatio est quædam alienatio, ideo si fiat à Monasterio, debet subesse causa, quæ requiritur in alienatione. *Card. Tusch. verb. Renunciatio, conclus. 160. numero 1.*

Item renunciatio iuris quæsitæ dicitur quædam donatio seu saltem habet vim donationis. *ibid. num. 7.*

Multò minus potest Prælati cedere iura quæsitæ Ecclesiæ. *Idem verb. Prælati, concl. 506. n. 56.*

Vti neque transigere, compromittere, alienare, donare, aut præiudicare Ecclesiæ, dum habet Capitulum. *Idem eod. vers. Prælati Concl. 500. n. 56.*

Mandatum ad causam, quam quis habet cum Titio, & generaliter ad omnes causas alias debet restringi cum Titio, si non addatur clausula, cum quacunque alia persona. *Tusch. verb. Mandatum, concl. 50. num. 20. Barth. in l. quod dicitur in princip. ff. de tut. Dec. cons. 502. n. 9.*

In generali mandato non veniunt ea, quæ mandans non fuisset specialiter concessurus. *Idem Tusch. ibid. n. 21. cap. in generali de reg. iur. in 6. l. oblig. generali, ff. de pignor.*

Mandatum generale non comprehendit donationem vel abdicationem iuris quæsitæ à mandante. *ibid. n. 23.*

Procurator generalis non potest renunciare exceptioni competenti Principali, quia esset donare. *num. 24. Castrens. cons. 196. col. 2. in princip. lib. 2.*

Procurator generalis non potest cedere ius competens Principali, quia speciale requiritur. *n. 25. Crauet. Cons. 442. n. 10.*

Mandatum generale non comprehendit incerta tempore mandati. *num. 27. Alexand. cons. 106. n. 8. & 9. verbo, Decimo lib. 2.*

Mandatum generale non continet ea, quæ verisimiliter dominus non concessisset, *n. 29. Bart. in l. filius familias col. 2. ff. de donat.*

Vbi agitur de graui præiudicio, vti est causa dignitatis, gradus, famæ, non sufficit generale Mandatum, sed speciale requiritur. *Alexand. cons. 133. n. 8. lib. 6. l. non solum 39. in fine, ff. de Procuratorib. cuius legis, hæc sunt verba: Sed non facile per procuratorem quis suspectus accusabitur (glossa habet excusabitur) quoniam fama causa est, nisi constet ei à tutore mandatum nominatim.*

Vbi agitur de statu aut qualitate personæ, itidem requiritur speciale mandatum, nec generale sufficit, immo vbi de simplici patria potestate quæstio est, siue de personâ vindicandâ tanquam patriæ potestati subiecta. *l. Pomponius 40. ff. de procuratorib. his verbis: Denique, ut liberi, qui in potestate absentis dicuntur, dicantur interdictum (de liberis exhibendis scilicet) non posse desiderare aut (scilicet procurator) nisi ut Iulianus ait, causâ cognitâ, id est, si & nominatim ei mandatum sit &c.*

Ex quibus omnibus manifestè sequitur non solum Abbatem in status Maximiniani perditionem non consensisse aut consentire potuisse, sed neque auditum fuisse, siue Abbatem, siue Monasterium in eadem lite, neque tanquam partem eidem interfuisse, atque adeo neque quidquam in eius præiudicium iudi-

cari potuisse, ac per consequens iudicatum non fuisse, sed quidquid iudicatum sit, in Monasterij Commodum necessariò cedere, nec aliter contingere aut fieri potuisse. Nam certum est

§.13. *Quod contra Monasterium iudicari non potuerit deficiente mandato, sed bene pro Monasterio.*

Siquidem condemnari nemo potest non legitimè auditus, siue per legitimum Procuratorem non defensus, sed bene absoluti. *l. acta 45. in fine. ff. de re iudic. l. non eo minus 14. & ibi DD ff. de procuratorib.*

Ad defendendum omnes admittuntur oblati à cautione iudicatum solui (quam si pars non exigit Iudex non vrget) quo casu si sententia feratur pro eo, qui se obtulit defensionis, proderit exceptio Reo. si ab eo petatur, non autem noceret ei nisi esset Tutor vel Curator. Verba glossæ ad leg. rei iudic. 4. ff. de except. rei iudic.

Sic & sententia lata post mortem litigantis valet, quando absoluitur, vel cùm sententia est ad eius fauorem. *l. cum quasi 30. in Princip. ff. de fideicommiss. libert.*

Quamuis non valeat lata contra mortuum ab alio defensus, quando mortuus condemnatur. *l. de quare §. 1. ff. de iudicijs.*

Particulariter ad nostrum casum sententia pro minore etiam in defenso valet. *l. non do minus 14. C. de procuratoribus.*

Ita & pro Ecclesia indefensa, *Gothof. ad d. l. & DD.*

Ita & pro fisco indefenso. *gloss. in l. 3. §. diuus, C. de iure Fisci. Gothof. ad d. l. non eo minus.*

Vnde per ineuitabilem consequentiam sequitur, cùm tantus Iudex rebus ita constitutis sententiam tulerit, quam (si per eandem Monasterio præiudicasset aut damnum intulisset) ferre non poterat, sequitur per illam præiudicare, nocere, aut damnum, vel interesse inferre non voluisse, neque de facto intulisse.

§.14. *Quod non solum ex defectu mandati, sed & ex ratione iustitiæ sententia ferri non potuerit, contra immediatum sub Imperio statum.*

Ipsò libelli scriptore testante & asserente sententia ferri non potest contra sententiam: videat ipse illud, quod tantopere in suo libello exaggerat.

Sententia, inquit, immo consilij aulici, cum quo (vrait) Camera Imperialis parem seu concurrentem Iurisdictionem habet, atque adeo ipsius Imperatoris sententia contra alteram sententiam prolata nulla est, ad quæ confirmanda, turbas penè atque adeo iurgia concitat, deinde reuideat in eodem libello suo §. non sententia Cæsarei & c. pag. 18. Item §. quæ Pontificia Imperatoris & c. pag. 28. isti textus, ista eadem redicta redocebunt.

Atqui sententiam habent Maximiniani ab Ottone Imperatore hætenus iudicatam.

An existimas sapientem illum Camera Senatam, in illa, quæ hîc obijcis, incurrere sententiamque suam illi Imperatoris sententiæ contraria complecti voluisse?

Vide præterea tuum idem votum: quæst. ante probata in princip pag. 88. reperies ibidem asseri, luce meridiana clarius constare, datum Monasterio priui-

legium,

legium, ne cui in perpetuum sublit, nisi solis Imperatoribus & Regibus Romanis, cui veritati manus dare oportuit, neque vlla responsio aut effugium patuit, nisi hoc exquisitum, nempe quòd non sit sub alterius, quàm Imperatoris potestate ille, qui est sub Archiepiscopo.

Vide illa alia omnia documenta manifesto tenore statuentia, vt nulli sit Ecclesia appendix vel famula, nulli sit Cœnobium beneficiarium siue fundarium vel subiectum, vide omnes istas Imperialis status notas certissimas, probationes perfectissimas, nulla contradictione vnquam concutiendas, nulla negatione conuellendas.

Vide iterum illud idem votum, pag. 146. vers. pro conclusionis &c. coactum fateri, Monasterium esse membrum Imperij, atque adeo eiusdem Imperij statum, sed tamen (vt subiungit) quia fiscus tantum in hoc principaliter intendit, vt habeat collectas, neque considerandus sit ad istum collectarum finem immediationis status, non potest (ait votum) quin Reum absoluat. Quid istis apertus, firmiter, certius dici, stabiliri, asseri queat?

An persuadere credas æquissimum illum Iudicem contra illam manifestam rationis lucem, æquitatem ac iustitiam iudicasse, ita vt sublato illo immediationis, iure Monasterium Archiepiscopo subdere intenderit?

§. 15. *Per alias præterea rationes illud idem conuincitur.*

HAbes superius dicta quædam de intelligentia aut dispositio sententiarum.

Adde & hæc, sententia debet interpretari, vt non contineat iniustitiam, quia mens iudicis non præsumitur fuisse velle facere iniustitiam. *Card. Tusch. verb. sententia, concl. 126. n. 1.*

Sententia semper debet intelligi, vt contineat iustitiam, non autem iniustitiam. *Idem ibid.* Et si plures sensus habere potest, interpretanda est in sensum magis iustum seu iustiore. *n. 2.*

Et si potest ex vna causâ sustineri iusta, ex aliqua argui de iniustitia, sustinetur, vt iusta sit. *ibid. n. 15.*

Absolutus est Abbas, absolutio in fauorem est.

Euidenter autem iniquissimum esset nocere rem iudicatam ei, pro quo iudicatum fuit, vt verbis Præsidis Fabri vtar in suis commentar. rationalium, *ad l. si iudex. 41. ff. de minorib. sumptis ex l. euidenter 16. ff. de except. rei iudic.*

Quantopere autem noceret, si per absolutionem de suo tanto statu gradu in Archiepiscopi subiectionem coniectus esset.

Contradictoria sunt absolui & condemnari.

Qui ergo de Absolutione condemnationem prædices? absolutum, per ipsam absolutionem condemnatum dicas? rem eandem contrarios effectus operari?

Immo cum in eius commodum lata sit sententia, contra ipsum nihil, cur ipsi non liceat, dum volet, ac si lubet eidem renuntiare, cum vnicuique liceat contemnere hæc, quæ pro se introducta sunt. *d. l. si iudex 41. ff. de minorib. & ibi Præses Faber in rationalibus. Idem Faber Cod. suo Fabriano, lib. 7. titulo 20. de execut. rei iudic. vbi ex re in Sabaudia Senatu iudicata definit; Quod nemo cogitur exequi sententiam pro se latam, nec conueniri primus ex iudicato, etiam si incidenter & in consequentiam propositæ actionis, aliquid inuicem aduersario præstare condemnatus sit.*

Ac rem ita se habere, quàm non latuit ipsos Archiepiscopos? quàm agnouerunt? quàm ipso facto facti sunt?

Cur enim per spatium integrum quadraginta trium annorum, de eadem hac sententiâ siluerunt? adeò, vt immediatè sequenti, à sententiâ, anno Abbatem Monasteriumque, se videntibus ac ferentibus, passi sint in matriculam Imperij denuò inferi ac adscribi, ceteraque agi quæ ad liberum & immediatum Imperij statum attinent.

Cur non de eadem sententiâ executioni mandanda solliciti fuerunt? Cur litteram nouam in Aulico Imperatoris Consilio instituerunt?

Si ita erat quod in illa Camera sententiâ rem iudicatam habebat, quid illis superesse poterat, nisi vt executorialia mandata ab eadem Camera obtinerent, quibus Abbatem Monasteriumque victum ac condemnatum ad suam subiectionem adigerent, cogerent, vrgerent?

§. 16. Quod sententiâ Imperatoris Ferdinandi II. in eiusdem Consilio Aulico lata illud idem stabiliat, scilicet per sententiâ Spirensis non esse iudicatum de Monasterij sub Archiepiscopis subiectione.

Inter cætera in Aulico illo supremo Consistorio non omisit Archiepiscopus sententiâ illam Spirensis allegare, sed illa non obstante, sententiâ lata est, per quam in immediati status possessione conseruatus fuit Abbas, quam habes sub Num. 85.

Quid aliud ea ratione iudicatum est, nisi quod illa Spirensis sententiâ petitorium status Maximiniani pro Archiepiscopo non deciderit, quippe cum iudicato euacuatoque petitorio nihil superuisset, quod in possessorio iudicaretur?

Arguit quidem libelli scriptor magnis clamoribus plenisque buccis istam Imperatoris sententiâ, sed quid, aut quem non arguit? at clamor est ventis præda ac fumus inanis, præponderat præstatque publica, ac præsertim ista auctoritas istis. Sententiâ, (exclamat) contra sententiâ ab Imperatore lata est, itaque nulla est, explodenda est. At contra reclames, sententiâ illam tulit, ergo non contra sententiâ, ergo illa tua sententiâ, sententiâ est pro te futilis, inutilis, non talis, qualem esse vociferaris.

Ac vtique talem illam patiantur Archiepiscopi oportet, cum ipsi Actores extiterint, Imperatorisque in eodem illo consilio elegerint arbitrium.

C O N C L U S I O.

In possessione ergo suâ immediationis, vi illius Imperatoriæ rei iudicatæ consistent Maximiniani: Tu, scriptor, si in petitorio actionem præendas, prosequere, longè aberis, vt in illos ius petitionemque fundes, sed neque ipsis multum negotij futurum est, vt te diuersis peremptorijs exceptionibus repellant.

Illâ hætenus deducta pro arrhis tibi erunt, non documenta aut instrumenta tantum, sed & omnes illæ aliæ exceptiones, rationes, ac argumenta in principio progressuque huius defensionis sigillatim deducta, quibus ne verbum respondes, scriptor, neque vnquam validè respondeas.

Sed interim quid fieri æquum esse censēs? non parere iudici? tali iudici?

cenfere fanè non exiftimem, fed tamen non pares, tu inquam fcriptor (te enim alloquor, cui ob mala tua confilia tanquam authori caulæque effectrici omnia iure meritoque adferibimus) Maximinianorum poffeffionem illis vt fupra ad iudicatam non folum turbas, fed & interuertis, neque hoc folum, fed & Prælaturam, Religiofos, Conuentum expellis, fugas, difpergis, ad extrema perfequeris bona diripis omnia turbis, armis, exercitibus, tumultibus, deuaftationibus imple, ô tempora! fieri potefit, vt homines contemnamus, Iuftitiam pefundemus momento dum vela tument fragilis fortunæ; at non vt effugiamus Iudicem illum fupremum, cuius Tribunal æquiffimum fimul ac feueriffimum non minus ineuitabile eft, quàm formidandum, ac fanè hic fubit exemplum iftud in re fimili etfi non tanta, à Lamberto Schafnaburgenfis memoria traditum, & ex illo à iufto Lipfio in fuis exemplis politicis relatum, quod non incommodè hoc in loco tranfcriberetur, fed ipfius Lipfij felectis ac ponderofis verbis, quæ talia funt.

Fermius Lamberto Schafnaburgenfis, (fcilicet affenfum dono) egregio, vt illa temporatulerunt, fcriptori: qui narrat Burchardum Epifcopum Halberftadienfem, iniquam diu litem cum Abbate Herueldenfi fouiffe, fuper decimis Saxonie, quas Epifcopus Monachis ereptum, fibi vindicatum, manu magis, quàm iure ibat. Neque fper aut ratio erat valenti Aduerfario refiftendi: cum Abbas paucis ante mortem diebus, Comitem Palatinum Fridericum ad fe vocat, & extrema hæc mandata ferre Antiftiti rogat: fe quidem lite imparem, lege meliorem, cedere: atque etiam vita cedere, fed Deum iudicem futurum, ad quem appellaret. Pararent igitur fe ambo, vt caulam in Tribunali dicerent, vbi gratia & potentia fpretis, fola Iuftitia poffet polleretque. Neque diu poft Abbas ipfe febri obijt, ftatimque Antiftes, cum equum confcendere vellet, vt fulmine ictus concidit: defijtque in vocibus. Abripi fe ad diuinum Tribunal ibi iudicandum. Hæc mira quanquam, fidem merentur à tradentibus, & ex vfu etiam vitæ eft credi.

SECTIO DVODECIMA.

Occafio Litis & Sententiæ à Confilio Cæfareo Aulico latæ exponitur.

PRæfata fententia Camera multos annos latuit Maximinianos Prælatos, certè illis, à nullo vnquam neque Fifcali, neque Archiepifcopo infinuata fuit: neque etiam erat quicquam, quod ex vi cuiusmodi abfolutoriæ fententiæ executioni mandaretur. Hinc Reinerus Abbas verè afferuit fe non nifi fub extremum regiminis fui tempus de ea quidpiam inaudiffè.

Cæpit tamen initio huius sæculi proferri & vehementius celebrari, præfertim in lite, quam Lotharius Archiepifcopus Anno MDCXIII. apud Confilium Aulicum Cæfareum contra nos, obtento Mandato fine claufula, eft exorfus.

Cuius quidem litis occafionem, fuffeffum & exitum, auctor libelli incredibili quâdam audaciâ, plurimis falſis & iniurioſis dictis interfertis denarrat; Abbatem Reinerum contra iuramentum Archiepifcopo præſtitum, periuro conatu, vinculis obedientiæ ruptis, iurifdictioni Electorali fe oppoſuiſſe afferit,

collectas denegasse, Regale Mosellæ, quo Archiepiscopi inuestiti sunt, ad se traxisse, defectionem & rebellionem in effectum produxisse, Comitum Namurcenſium Protectionem à summis Pontificibus & Imperatoribus annullatam ac prorsus cassatam resuscitasse, ut in priores dissolutiones liberius corrueret. Luxemburgenses Archidiœcesi ingentes hostilitates, & damna infinita intulisse: Abbatem deinde & Conuentum in lite hac fictitias & falsas quasdam exceptiones, uti & Cæsarea antiquis rebellionibus sub & obreptitiè per dolo, fallacias, mendacia & corruptiones, à Pseudopapis ac Imperatoribus excommunicatis, in schismate Ecclesiæ extracticata priuilegia ac iura produxisse. Ab Imperatoris Ferdinandi II. Aug. mem. senatu Aulico has Archidiœcesi Treuirensi, contra constitutionem pacis publicæ, illatas violentias, inuasiones ac hostilitates, per sententiam Anno MDCXXVI. die 3. Augusti publicatam, approbatas. Antiqua sanguine & bonis parta Electoralia iura, Regalia ac priuilegia cum extrema confusione ac elusione Rom. Imperij annullata &c. Quæ, aliaque auditu sane horrida, auctor ille à num. 36. vsque ad 44. dicere audet, contra S. Cæs. Maiestatem, Regem Hispaniarum Catholicum, eorumque consilia, ut de Abbate & Conuentu nostro taceam.

Proinde, ne quem fortassis posterorum rei hoc tempore notissimæ veritas lateat, paucis gestorum seriem referam, ex qua facile & summorum Principum iustitia, & Monasterij nostri innocentia, & auctoris insignis maledicentia deprehendetur.

S. I. Vera rei gestæ series refertur.

ANno MDCVIII. Mosellæ vndis haustus adolescens, infra pagum Schweich, qua se Comitatus Fellenſis & Iurisdicção Maximiniana extendit, in flumine interijt, Prætor ac Scabini Maximiniani, ad quos id de iure & ab omni consuetudine & vsu spectabat, cadauer extrahi curarunt, visitarunt, & in dicto Comitatu sepeliri iusserunt.

Archiepiscopi Satrapa Palatiolanus re cognitâ, prædictos nostros Officiarios hoc nomine, tanquam violatæ Electoralis Iurisdicçãois reos, cœpit infestari, ab ijs reparationem exposcere, multam pecuniariam non modicam exigere, idque sine vilo iuris ordine, aut informatione; quod totius Mosellæ Regale, etiam qua parte Comitatum Fellensem alluit, Electoris Domini sui esse distitaret.

Quamuis verò supremus Monasterij Præfectus, prædicto Electorali Satrapæ, prolixè demonstraret, non modò locum illum, vnde cadauer extractum fuerat, Iurisdicçãoi nostræ subesse, sed & in immemoriali ac perpetua possessione & vsu eiusmodi actuum, nostros Officiarios esse ac semper fuisse, nullum tamen locum ratio & æquitas apud præfatum Satrapam reperit.

Sed is magno numero subditorum Treuirensium Armatorum euocato, densissima nocte vicum Fellensem hostiliter inuasit, domum Prætoris vi effractis ostijs occupauit, Prætorem strato decumbentem extraxit, & Palatiolam captiuum abduxit. Regiolæ (qui itidem est nostræ ditionis pagus) idem deinde tentauit, sed non pari successu, quòd fugâ Prætor sibi consuluisse, qui idcirco multo tempore metu alicuius mali domo abesse est coactus.

Reinerus eo tempore Monasterij Abbas ad Archiepiscopum certum hominem ablegat, de iure ac possessione Principem humillimè edocet, omnia of

ferr, enixè & suppliciter petit, etiam oblato fideiussore, vt miser ille à captiuitate tandem relaxetur.

Cùm omnia frustra esse videt, neque iustissimis suis rationibus ac postulationibus locum esse; id, quod à maioribus suis in eiusmodi casibus à tot sæculorum memoria & perpetuo vsu factum, quod iura antiquissima Monasterij concedunt, quod Imperatores omnes à tanta antiquitate approbârunt, decreuerunt, iusserunt, ad Ducem Luxemburgensem tunc Belgij Principes & hæreditarios suos Protectores & Aduocatos, habet recursum & perfugium.

Gubernatori, Præsidi, ac Consilio Luxemburgensi rem omnem vri gesta erat exponit, hi ad Archiepiscopum hac super re, semel, iterum, ac sæpius nomine Serenissim. Archiducum Belgij Principum dant literas, ab eo instanter petunt, vt æquitati, rationibus allegatis ac lenibus turbationis illius componendæ medijs det locum, captiuum illum Prætorem libertati restituat.

Quod cùm non fieret, verùm insuper etiam palàm Archiepiscopus in scriptis suis responsalibus, se Monasterij æquè ac subditotum eius esse Principem, & Dominum territorialem, ac ius eisdem collectandi ad se pertinere, assereret.

Luxemburgenses iure Monasterij acuratè examinato, cùm rem omnino aliter se habere deprehendissent, & Abbatem, Conuentum eiusque subditos nulli in temporalibus nisi Imperatori subesse, & ad illum ac Sac. Rom. Imperium ius, collectas (si quas deberet Abbas) exigendi pertinere, idque pridem Ottonis Magni sententiâ ac tot Imperatorum Decretis ac Diplomatis iudicatum & decisum perspicerent.

Omnibus pacificis controuersiæ componendæ medijs frustra tentatis, tandem ex obligatione Aduocatiæ & Protectionis Hæreditariæ, eo descendere coacti sunt, vt missis aliquot militibus Prætorem Oppidi Eringij cum aliquot aliis Archiepiscopi subditis Luxemburgum abduci curarent.

Ita demùm controuersia composita fuit, saluo vtriusque partis iure, captiui vtriusque dimissi sunt, & res in medio relicta, donèc amicâ conferentiâ posset quidpiam absolutè statui.

Verùm his non obstantibus, ministri Electorales non cessârunt annis sequentibus subditos nostros inquietare, ob prætenfas & nullo iure debitas collectas & contributiones, quas ab illis extorquere conabantur.

Qua de re iterum questi sunt Luxemburgenses, & variis ac frequentibus ad Principem Electorem missis literis, petierunt, vt Maximianos in iure suo quietos manere sineret. Ad quod ipse quoque Albertus Archidux eundem Principem admodum & seriò est adhortatus.

Et cùm nihilominus præfati Ministri ab inepto non desisterent, sed modò redditus ac fructus dictorum subditorum detinerent, modò pecora eorum abigerent, Consilium Luxemburgense, iterum ad Clientis protectionem suscipiendam processit, atque ideo cùm aliud nullum superesset remedium, missi milite in pagos præfecturæ Welschbillich, subditis Archiepiscopi vicissim aliqua pecora pro damni reparatione iussit abduci.

Hanc ob rem & quòd Abbas eiusque subditi collectas prætenfas Archiepiscopo soluere nollent, Archiepiscopus in Comitibus Ratisbonensibus Anno MDCXIII grauius apud Matthiam Cæsarem est questus.

Oblatoque libello rem adeo exaggerari iussit, allegatâ pacis publicæ rupturâ, & similibus, vt Matthias Imperator Mandatum pœnale sine clausula iustificatoria decreuerit, quo sub graui pœnâ Abbas eiusque subditi iubebantur, sine dilatione & vteriori oppositione, collectas sine contributiones ab aliquot annis cessas & debitas soluere, Archiepiscopum in suâ prætensâ & allegata possessione non turbare, & prout in ipso Mandato, quod sub Numero 85. exhibetur, est videre, quòd tamen in libello sub lit. M. mala fide allegatur, quibusdam in fine adiectis, alijs omisiss, vt conferenti vtramque apparebit.

Et quia in fine Mandati adiecta fuit citatio, qua vtraque pars ad causam coram Consilio Aulico Cæsareo agendam super pœnâ appositâ reatu alijque peremptoriè euocabatur, Abbas ad dictum diem comparuit, exceptiones suas proposuit, iura Monasterij sui quæ prima parte deduxi, aliaque allegauit, facti sui rationem reddidit, quibus etiam Archiepiscopus per suas Replicas ac Triplicas occurrere est conatus, omniaque pro suo, quæ aut potuit, aut voluit obiecit; iussus etiam est speciali Iudicis supreni decreto, omnia causæ suæ firmamenta ad certam diem, si quæ ultra haberet, proferre, & lite per tredecim annos maximâ contentione vtriusque actâ, tandem lata est sententia Anno M D C X X V I. tertia Augusti, quæ sub Numero 85. exhibetur, qua præfatum Mandatum sine clausula cassatur, & annullatur, Abbas immediatus Imperij status iudicatur, Archiepiscopus vt à prætensis contributionibus impofterum absteat, condemnatur.

S. 2. Corollaria è prædictis inferuntur.

EX ijs quæ retuli & verissima sunt, hæc clarè sequuntur.

Primò, si qua olim Archiepiscopi subiectis illata fuerunt incommoda per Protectorem & Aduocatum supremum Monasterij, eius omnem causam & culpam ferre debere illos Archiepiscopi Ministros, qui viam facti primi auspiciati sunt, neque iuri aut æquitati locum esse voluerunt; illos vtique violatæ pacis publicæ & Imperij Constitutionum reos esse.

Secundò, responso dignum non esse, quod auctor libelli audet dicere, Maximilianos fictitias ac falsas exceptiones, priuilegiaque per dolos, fallacias, mendacia & corruptiones obtenta &c. produxisse. Nam cur illa non fuerunt probata & demonstrata apud Consilium Aulicum? An viri illi Maximi, falsitates & mendacia non poterunt deprehendere? Nonne ista grauis est iniuria in supremum illud S. Rom. Imperij Consilium contorta, quòd dicatur fictitijs falsisque exceptionibus tantum detulisse?

Immo, nonne contrarium omnino sequitur narrata nimirum, quibus Mandatum illud sine clausula exprobatum fuit, istiusmodi fictitijs falsisque fuisse conferta? Nam quare illud à Cæsareo Consilio fuit cassatum & annullatum?

In Imperio vsu receptum testatur Gailius, *libr. 1. obseruat. 14. numero 2. 4.* mandatum sine clausulâ cassari, si probeatur sub & obreptitium. Tale autem esse, si ipsa narrata sint falsa; æquum enim esse vt careat mendax precatore impetratis. *Text. ca. Sedes de rescriptis.* Et in mandatis eiusmodi perinde atque in alijs rescriptis solemnem semper contineri clausulam, si preces veritate

nitantur. *cap. ex parte, de rescriptis. D.D. in cap. super literis eodem. l. vniuersa C. de rescriptis.*

Cum igitur mandatum illud per sententiam sit cassatum, sequitur eius narrata fuisse falsa.

Quamquam hic non opus est ad consequentiam iuris recurrere, ex ijs enim, quæ hactenus exposuimus, & ex ipsa facti positi veritate, constat ea quæ in mandato illo narratiuè initio deducuntur esse omnino falsa.


Nimirum falsum esse Abbatem S. Maximini esse Prælatum Treuirensis siue Archiepiscopi subditum æquè ac alios Archidiececeos Prælatos, quod Abbas confessus fuerit illam subiectionem, quod subditi illius Archiepiscopo, tanquam territorij Principi iurârint; quod per sententiam Spirensis de Anno MDLXX. idem Abbas Archiepiscopo, vt Principi ac Domino suo fuerit adiudicatus, quod condemnatus ipsi soluere collectas, quod Archiepiscopo petierit ita subijci & adiudicari, quod Archiepiscopo soluerit semper collectas; quod implorando auxilium Protectoris siue Aduocati sui, pacem publicam violârît, & alia id genus plura, quæ in dicto mandato referuntur, quorum relatione Cæsar ad illud decernendum motus fuit.

Tertiò iniuriam grauem memoriæ Reineri Abbatis inferri, dum iuramenti violator & periurus dicitur ab auctore libelli, si enim vnquam tale, quale in libello sublit. H. numer. 1. refertur iuramentum præstitit Reinerus, id omnino per errorem & deceptionem fecit, ratus se iurare Cæsari & Imperio eodem tenore & formula, qua Prædecessores eius omnes Abbates iurassent; ac proinde vbi primùm obseruare & deprehendere potuit ex inde, quid in præiudicium Monasterij prætendi aut practicari possit, meritò professus est se non intendere nec intendisse vnquam Archiepiscopo eiusque Diœcesi per iuramentum sese obstringere, sed soli Cæsari & Imperio, quemadmodum maiores sui S. Maximini Abbates fecissent.

Quod tu iam periurium in hoc facto deprehendis scriptor? Nonne si Reinerus alteri, quam Cæsari Domino suo iurasset, in eoque iuramento perstitisset, periurus potius & in Monasterium suum iniurius & impius fuisset?

Verùm illud hic ego à te exquiro, quomodo excusare possis factum illius, qui ausus fuit priuata autoritate, immutare tam notabiliter iuramentum, quod Vasallus Imperij Abbas Sancti Maximini Imperatori & Imperio semper fuit solitus præstare, ita vt Archiepiscopum loco Imperatoris, Archidiecece fin loco Imperij, substituerit, & Vasallum hac ratione Imperio subtrahere & alteri asserere sit conatus? Quomodo eiusmodi clancularia & priuata autoritate facta, cum iuramento fidelitatis, quo Electores S. Rom. Imperio obstricti sunt, possint consistere?

Et similem proponere possem quæstionem de iuramento ab Abbate in benedictione S. Sedi Apostolicæ præstito, quod perinde libelli auctor immutare conatus est, vti superius est ostensum. An tale factum non repugnet iuramento, quo Archiepiscopi S. Sedi Apostolicæ obstringuntur?



SECTIO DECIMATERTIA.

*Invalidi Conatus contra dictam sententiam verbo
exploduntur.*

CVm lis illa de Collectarum solutione & Monasterii statu, ab Archiepiscopo coram consilio Aulico intentata, & tanto studio & tot annis agitata, ac tandem à tam excelso Iudice in possessorio fuerit decisa; mirum, quid in mentem venerit moderno Archiepiscopo, cur se huic sententiæ iustissimæ (quam iniustam vocant notæ marginales numero 44.) conatus sit opponere, de ea tam acerbè queri, quasi contra omnia iura S. R. Imperii, fundamentales Constitutiones fuerit iudicatum, remedia facti omnia se contra adhibiturum firminatus. & ad hoc etiam successores suos excitet & adhortetur, prout videre est num. 44. vsque ad 55.

Verùm quid ista omnia, quæ & dicuntur istic, & gesta sunt alibi, profuerunt?

Omnes enim illæ tanto molimine conquistæ machinæ, Electorum Principum ternæ prætenstæ intercessionales litteræ, quarum unæ tantum exhibentur in libello, iudicij Cameralis testimoniales, eiusdemque Mandatum sine clausula ex practicum, quid effecerunt?

Nonne, si sæpedicta Cameralis sententia de Anno MDLXX. vti libelli auctor toties sine fundamento asserit, contraria fuisset sententiæ Consilij Aulici, vel per illam aliquid Archiepiscopo in Monasterium adiudicatum fuisset, illud tandem à Cæsareo Consilio Aulico agnitum foret? præsertim cum noua disceptatione & litigio ab Archiepiscopo moderno intentato, Abbati iterum fuerit de istius sententiæ iudicato diu multumque aduersus ipsam contendendum? Cùm illam rem examinari à Cæs. Maiestate tam instantè Electores peterent?

Et cùm omnibus illis consideratis, perpensis & iterum iterumque ageratis, S. Cæs. Maiestas decreuerit, sententiam anno MDCXXVI. tertia Augusti latam super ordinario possessorio, saluam omnino permanere debere; & nihilominus partes litigantes quoad petitorium ac Camerale Tribunal Spiram remitti, iustis rationibus ad id mouentibus.

Quid quæso aliud obtinuit modernus Archiepiscopus, quàm confirmationem sententiæ Consilij Aulici Cæsarei? Quid aliud, quam manifestam declarationem, post tam accuratam causæ cognitionem; sententiam illam anni MDLXX. huic posteriori Consilij Aulici non repugnare, nihilque adhuc in petitorio iudicatum de iure, quod Archiepiscopus prætendebat, in Camera Spirensi, sed integrum esse partibus ibi in petitorio agere? Quod sanè petitorium nullo modo formidamus, & securos nos esse iubent tot & tam luculenta libertatis & iuris nostri fundamenta.

Cæterum ex ijs, quæ superius de sæpedictæ Cameralis sententiæ iudicato & sensu diximus, quiuis facilè intelligit præfatas Electorum Epistolas & Cameræ Imperialis mandata, per sinistras informationes & prauam ac detortam sententiæ illius applicationem fuisse ex practicum, de quibus proinde nihil opus est addere. Illud solum Lectorem memorem esse velim, dum mandatum

quod-

quoddam à Camerâ Imperiali extractum, quod auctor libelli sub litt. R. & S. exhibet, & similia, videbit & leget, quod DD. passim tradunt mandata eiusmodi sine clausulâ ipso iure non valere & illa impunè contemni & sperni posse, quod multis iuris & DD. autoritatibus probat Gailius *lib. 1. obseru. 13. num. 1. & 2.*

De Aduocatiâ verò & protectione Luxemburgensi, quam passim auctor indignè perstringit, agetur.

Denique etiam illud rogo, vt æquus Lector hic in transitu memori mente recondat, quanta fuerit Augustissimi Cæsaris Ferdinandi II. tum in omnibus tum in hoc quoque negotio iustitia, Constantia, animi Magnitudo, quòd se ab eo, quod ius & ratio exigebat, nullis intercessionibus, neque actoris importunâ & acerbâ sollicitatione, neque vllis status politici considerationibus (cùm plurimùm eius interesset habere Archiepiscopum amicum in eo rerum cardine) siuerit, vel latum vnguem abduci, sed sine personarum acceptione ius dixerit, & sententiam serâ prolatam contra omnes & potentia & artificij machinas sit tutatus.

SECTIO DECIMAQVARTA.

Nonnulla contra Exemptionem Ecclesiasticam Monasterij obiecta refelluntur.

MUltis deinceps paginis à numero 55. vsque ad 77. auctor nihil aliud dicit, quàm licuisse Archiepiscopo moderno, non obstante illâ sententiâ Aulici Consilij, & remissione ad Cameram Spirensis viam iuris deserere, viam facti ingredi, arma capere, bellum inferre, Maximianos & viciniam infestare, tantos in Sac. Roman. Imperio motus concitare.

Qui omnis discursus, eum non nisi imaginariis, & supra iam reiectis fundamentis nitatur, nullam etiam vim habet, neque vlli homini sincero iudicio prædito, satisfacere potest; risum potiùs moueat, quod ob vnus exigua arcis Freudenburgicæ (quæ Maximinianæ ditionis est) expugnationem, à Re-dis Christianissimi milite peractam, tantopere auctor se iactet instar Pyrgopolinica cuiuspiam, velut de immani quodam fortalio & hoste deuictò sibi applaudat, & quasi in illo ius omne Sancti Maximini fuerit debellatum, triumphet. Cui simile est illud, quod de effractis Monasterii portis Anno MDLXVIII. vi tormentorum bellicorum gloriari audet.

Sapientiùs fecisses, mi scriptor, si non tantopere fortunæ patumper blandienti fidisses, & ea, quorum te iam meritò & poenitet & pudet, altissimo silentio inuoluisses. Quæ quidem omnia dicta & redicta, sicut nostro iuri nullo modo obsunt: ita in ijs recensendis & reijciendis tempus & operam perdere non est animus. Causam & facta Archiepiscopi moderni altiori subsellio examinandam relinquimus.

Illud solum hîc verbo vno expediendum est, quod auctor dicit, licuisse Archiepiscopo moderno etiam excommunicationis fulmine Religiosos Maximianos ferire.

Quòd omnino fortissimè negamus, cùm constet illos Iurisdictioni

Ecclesiasticæ ipsius nullo modo subesse, prout parte prima multis clarissimis & solidis argumentis est demonstratum; contra quæ nihil omnino habet, quod opponat auctor libelli; sed neque Archiepiscopus vllus vnquam contra Exemptionem illam Ecclesiasticam quicquam vel in speciem iuris habuit vel obtinuit.

Diplomata vero Urbani VIII. & Caroli IV. quæ sublit. T. proferuntur in libello, ius puniendi, excommunicandi &c. tribuunt Archiepiscopo, sed respectu ipsi subditorum, vti ex ipso textu clarè innotescit.

Hoc loco auctor libelli, argumento cuidam à nobis parte prima cap. 2. §. 3. ex confirmatione Apostolica ducto, occurrere conatur. *Cui iurisdictioni Ecclesiasticæ (Archiepiscopi nimirum) confirmatio Abbatum Apostolica, inquit, nihil omnino derogare aut præiudicare potuit, vel potest: nam iuris est, quod generaliter omnia, quæ per priuilegia Exemptionis expressè non adimuntur, censentur illi referuata;* quòd deinde diuersis autoritatibus probare conatur; & infert Exemptionem Monasterij non extendi vltra dictam Confirmationem.

Verùm præfatas Auctoris obiectiones futes omnino esse & intentum nullo modo probare ex iis, quæ parte prima citat. diximus manifestum est.

Nam in primis non ex sola illa S. Sedi Confirmatione exemptionem Abbatum & Monasterij probamus, sed alijs pluribus irrefragabilibus argumentis, vt ex Regum & Imperatorum Diplomatis, qui Monasterium semper & à primo sui exordio soli S. Sedi immediatè subiectum fuisse declarant & decernunt, ex Bullis & Priuilegijs Pontificum qui eandem omnimodam exemptionem approbârunt & de nouo decreuerunt; ex possessione immemoriali; ex Bullis innumeris, quibus Pontifices Monasterium S. Sedi immediatè subiectum enuntiant, eiusque Abbatem hoc nomine confirmant; ex iuramento speciali, quod Abbas in benedictione facit Pontifici summo & S. Sedi Apostolicæ, ex eo, quòd non ab Archiepiscopo Treuirensi eiusve Suffraganeo, sed à quocunque maluerit Catholico Antistite gratiam & communionem Apostolicæ Sedi habente munus benedictionis recipiat, vti illi per specialem Bullam Pontificiam conceditur. Denique ex eo, quòd Archiepiscopus nulum omnino actum Iurisdictionis vnquam in Abbatem vel Monasterium exercuerit, sed hoc in plenâ exemptione semper ab omni memoria permanferit.

Secundò asserimus illam Electionis per Apostolicam Sedem confirmationem solidum & irrefragabile esse argumentum, Abbatem & Monasterium esse plenè exemptum, & totaliter, & quoad omnem Iurisdictionem Ecclesiasticam, nulli, nisi S. Sedi Apostolicæ immediatè subesse, vti parte 1. cap. 2. §. vltimo, ostensum est.

Neque contra hoc quicquam facit, neque aptè allegatur, quòd dicit Auctor voti, ea, quæ per Priuilegia Exemptionis expressè non adimuntur censeri referuata ordinarijs.

Nam nullum omnino habemus Priuilegium circa Exemptionem, in quo hæc Confirmatio à S. Sede petenda decernatur, sed antiquissima Priuilegia omnino aliter loquuntur, vti videre est in Gregorij II. Agapiti II. aliorumque Pontificum Bullis & Imperatorum ac Regum Diplomatis parte 1. capit. 2. §. 2. relatis, per quæ declaratur & decernitur omnimoda Monasterij exemptio.

Malè etiam allegatur decisio Rotæ apud Farinacium in recentioribus part. 1. dec. 324. numero quinto, nam de alio prorsus casu ibi erat quæstio, nimirum: an Ecclesiæ Parochiales à Monasterio Sancti Galli, quod exemptum erat, dependentes, & in territorio Episcopi Constantiensis sitæ, æquè ac Monasterium exemptæ essent, vnà cum Oppidis & Vicis, qui illi suberant. Et in isto casu allatum est principium illud, generaliter exemptionem non esse extendendam ad eos subditos, Vicos aut Ecclesiâs, quæ in Priuilegio Exemptionis non comprehenduntur, nam eo modo fieret præiudicium tertio; quod in nostro casu locum non habet, vt patet ex prædictis.

In quo sanè dici non potest, quod Exemptio odiosa sit & restringenda. Neque iura allegata scilicet c. Exemptionem & cap. Si Papa, de priuileg. in 6. id probant, sed omnino pro nobis sunt, & stantibus ijs, quæ diximus, probant Monasterium habere plenam exemptionem, vt ex eorum textu & adiunctâ Glosâ manifestum est.

Quin imò Exemptio in nostro casu fauorabilis esse ostenditur, idque ex fine, ob quem introducta est. Voluerunt enim Pontifices Summi & Imperatores ac Reges, quieti & tranquillitati Monasterium prospicere, eaque ab Episcoporum subiectione liberare, vt tanto liberius contemplationi & orationi vacare Religiosi possent. Extant hac de re præclara Sancti Gregorij Decreta; *Canon. Quam sit. Canon. Luminoso. 18. quæst. 2.* quibus libertas & exemptio ideo Religiosis concessa dicitur, *Vt remotis vexationibus ac cunctis grauaminibus diuinum opus cum summa deuotione animi proficiatur.*

Est & alius finis eiusmodi exemptionis, nimirum fauor Sedis Apostolicæ, cui omnino expedit habere multos Prælatos immediatè sibi subiectos. libet proferre verba Baldi, *Tractat. de Exemptionibus, §. Similia fere, numero sexto. Sexta causa, inquit, Exemptionum, est fauor S. Sedis Apostolicæ, cui multum debetur; fauor enim eius est, multos immediatos subiectos & ligios habere, diuersi generis in casu nostro. Si enim Episcopi persæpe moliuntur contendere de pari cum Roman. Pontifice, & iura S. Sedis Apostolicæ deprimere cum augmento suorum, expedit, vt sedes ipsa alterius generis homines, præsertim Religiosos habeat defensores & manutentores, sicut apparere potuit durante schismate.* Hæc ille, & plura valde apta huic quæstioni sequuntur, ad quæ lectorem remitto, vt etiam ad ea, quæ supra Sect. 4. §. 3. retulimus.

Maneat igitur Abbatem & Religiosos Sancti Maximini plenam habere ab omni Archiepiscopi Iurisdictione Ecclesiasticâ, æque ac temporali Exemptionem, neque vlla ratione fas esse eidem Archiepiscopo illos excommunicare, corrigere, emendare, ac in subiectionem redigere, multò minus Monasterium extinguere, vnire &c. quæ Archiepiscopum facturum Scripitor nimis timerè minatur; qui immemor fortunæ inconstantis, non modò Cæsarem ac Regem Catholicum grauitèr passim perstringit: sed hoc loco etiam iura Sanctæ Sedis Apostolicæ, cui tamen videri vult admodum fidelis & addictus, inuadere est ausus. Idque sine vllò vel apparente fundamento.

Nam quòd Numero 111. dicere ausus fuit libelli auctor, *Confirmationem hanc solummodo Archiepiscopos ex respectu erga Sedem Apostolicam ad Cameram eiusdem, vt fructibus gauderet Annatorum, proprijs tamen iuribus reseruatis, pertrahi permisisse,* figmentum est (vt grauiori verbo abstineam) intolerabile,

quod

quod nullo indicio vel minimo vestigio probari potest. Ex quo iterum apparet quàm reuereatur S. Sedem, qui illam ita annatorum & fructuum cupidam effingit, vt polliceatur sibi obtinere posse ab illa ius confirmandi Abbates Sancti Maximini, modò annatæ Papæ soluantur; *S. Sedes*, inquit, *salubriori medio occurret, vt nempe Confirmatio ab Archiepiscopis fiat, & annatæ ab iisdem casu accidente soluantur, ac vel ita melius pax & tranquillitas Ecclesiæ, salusque animarum conseruentur.* O zelum Animarum! En quibus demum laruis & velis cupiditates obteguntur? nimirum animarum zelus est, qui adigit illum, vt collectas, fructus, emolumenta Abbatæ toties in libello & præsertim in voto decantata expetat.

SECTIO DECIMA QUINTA.

Dicta contra Aduocatiam & Protectionem Luxemburgensem refelluntur.

Postquam libelli auctor multa contra libertatem Monasterij in temporalibus, & verbum etiam contra Ecclesiasticam Exemptionem contorsit, nouissimè protectionem & Aduocatiam hæreditariam Regis Hispaniarum Catholici Ducis Luxemburgensis acerbè insectatur; idque ex professo circa finem huius partis à num. 77. vsque ad 93.

Dicit enim *præsentam Luxemburgensium Aduocatiam fuisse ac esse incitium defectionum Abbatum, Prioris & Conuentus Monasterij Sancti Maximini, eos, quoties iniustissimas causas habuerunt, ac ab Archiepiscopis deficere inceperunt, toties sub spe huius Aduocatiæ classicum cecinisse, atque Archiducem in ac S. Ecclesiam Treutrensem vi militari inuasisse, funditusque deuastasse.* Deinde num. 91. addit. *Electores ac modernum Dominum Archiepiscopum, eosdem præsentos violentos, seseque de facto intrudentes Protectores, iustis armis expulisse, & ita eo ipso facto Protectionem falsam, sententijs ac rebus iudicatis ac armis explosam & in se extinctam esse.* hæc notanter dictis locis referuntur, & passim alibi arrepta occasione similia auctor contra Regem Catholicum Serenissimos Belgarum Principes eorumque ministros proferre non est veritus.

Nam quis nescit Luxemburgenses, Regis Catholici Ministros, quoties opus fuit Abbatem S. Maximini protegere, nihilominus priuato suo vel consilio, vel nomine executos, sed omnia vel Regis Catholici eiusque Consilij priuati, vel Serenissimorum Alberti & Isabellæ Principum expresse mandato fecisse?

Quamuis autem magni illi Principes & Monarchæ, quorum pietate ac iustitia plenus est terrarum orbis, & quorum solum nomen & memoria gloriosissima omnem iniquitatis & violentiæ suspicionem extinguit, nostra defensione non indigent, & istiusmodi catellorum obrectantium latratus contemnunt, cum experientia doceat, dicta talia falsissima seipsis euerti & corruere:

Quia tamen eiusmodi facta ex parte nobis imputantur, & quæ contra Aduocatiam statui Monasterij nostri adeo salutarem obijciuntur, magnum nobis præiudicium creare possent, si fidem apud quemquam mortalium obti-

nerent. Ideo solita mea breuitate illis occurram; ac cum protegendi actus, siue facti ratio, æquitas & Iustitia ex ipso protectionis Iure, obligatione ac debito proficiatur: Idcirco beneuolum Lectorem ad illa, quæ pro eodem protectionis Iure stabiliendo. part. 1. cap. 3. tractata sunt, remitto. Atque me ad obiectiones ab aduersarijs oppositas discutiendas accingo.

S. *Unicus. Occurritur singulis obiectionibus.*

A Vtor libelli conatur ostendere, quod Aduocatia hæc pertinuerit à prima Monasterij origine ad Archiepiscopos, in quem finem sequentes inducit probationes.

Primò, dicit olim Imperatores Regia potestate Abbatiam Archiepiscopo subtraxisse, & pensiones exinde amplas percepisse sed à Conrado II. Abbatiam cum Aduocatia Alberoni Archiepiscopo restitutam; Henricum verò Comitem Namurcensem ab eodem Alberone Aduocatiâ in feudum accepisse & recognouisse: Hæc autem probari dicit ex Diplomate Conradi II. siue III quod sub lit. V. in libello exhibet.

Verùm, quidquid sit de istius prætensi Diplomatis valore, cuius originale nunquam videri potuit, & quod aliunde multis sub- & obreptionis vitijs laborare suo loco ostendimus supra Sect. 5. Nusquam in illo reperies, quod Aduocatia Alberoni fuerit concessa; sed in terminis Imperator declarat contrarium, his verbis: *Treurense Ecclesie & Archiepiscopo resignauimus & reddidimus Abbatiam; postea verò successu temporis Aduocatiâ quesiuimus & obtinuit à nobis Henricus Comes Namurcensis, qui non contentus Aduocatiâ, longo tempore certauit cum Archiepiscopo de Abbatia.* Quâ fronte iam audes dicere, quod Aduocatia fuerit ab Imperatore data Ecclesie Treurense; Item quod ab hac Comes Henricus accepit Aduocatiâ in feudum? cum illud ipsum tuum Diploma, quod sub lit. V. ad hoc probandum proferis, disertè dicat contrarium? Quid credemus tibi in obsecris & dubijs, cum in claris illis & expressis tam turpiter mundo coneris imponere?

An fortè sequentia verba voles obtendere, vbi dicitur: *Comes per omnia Archiepiscopo satisfaciens, reiturnauit ei fidelitatem, & iurauerit ei in presentia nostra, & omnium, qui affuerunt. Abbatiam, & omnem ad stipulauit de ea calumniam, & sic ab Archiepiscopo absolutionem & beneficium suum recepit, excepto Castro de Manderscheidt, & pertinentijs ad illud.*

Sed istis verbis nihil de Aduocatiâ ab Archiepiscopo acceptâ narrari, ex ipso textu manifestum est; ex quo constat beneficia siue feuda (diuersa vtique & distincta ab Aduocatiâ præfatâ) Comiti ab Imperatore & Archiepiscopo ob controuersias illas & bella fuisse ablata, quæ omnia deinde, pace Spiræ, interuentu S. Bernardi inita, fuerunt ei restituta, excepto Castro de Manderscheidt. Quomodo iam ex eo, quod Comes Namurcensis aliqua feuda accepit ab Archiepiscopo, ideoque fidelitatem ei iurauerit, inferre & concludere vis, quod Aduocatiâ S. Maximini ab eo recognouerit in feudum, cum Diploma tuum fateatur illam ab Imperio & Imperatore moueri?

Secundò dicit Conradi II. Compositionem ratione Aduocatiæ factam, à Friderico Barbarossa & consequentibus Imperatoribus ac moderno Ferdinando II. confirmatam fuisse, & citat in eam rem prætensum Friderici Diploma sub lit. D. quo Diplomate allegat Abbatiam Aduocatiâque Archiepiscopo con-

firmari: quamvis nec confirmet, nec quidquam quo ad Aduocatiā pro Archiepiscopo enuntiet, neque confirmare poterat, cum Conradinum, cuius hoc Fridericianum confirmatorium fuisse prætenditur, de Aduocatiā nihil pro Archiepiscopo, sed contra disponat.

Sed & quod magis est, illud ipsum Fridericianum (etsi ex alijs etiam causis Sect. 6. relatis refellatur) probat Abbatiam non ad Archiepiscopum, sed ad Comitem Namurcensem pertinuisse his verbis: *Concedente, confirmante & collaudante sine aliqua contradictione, Henrico Namurcensi Comite libero Aduocato eiusdem Abbatia*

Tertio, profert Bullam Eugenij III. sub lit. X. quæ compositionem prædictam Spiræ factam confirmavit; quam item ab Adriano IV. Clemente III. & moderno Pontifice Urbano VIII. ratificatam dicit.

Verum Eugenij Bulla allegata, compositionem pacis dumtaxat confirmat, de Aduocatiā nihil omnino meminit; & cum tam illa, quam aliorum Pontificum Bullæ in terminis confirmatorijs maneant, nihil omnino noui Iuris quoad Aduocatiā Archiepiscopo tribuunt.

Quarto asserit Aduocatiæ proprietatem à Carolo IV. Imperatore, Archiepiscopo in Regalium concessione confirmatam, eius Extractum sub lit. Y. exhibet. Sed ex hoc Extracto nihil pro Archiepiscopi præfata Aduocatiā probatur. Tum quia non credimus tale existere Diploma, quale hic producitur, eo quod exemplum in Spirensi lite productum, in hoc ipso passu aliter sonet, & rasuram habere deprehensum sit. Tum quia non confirmat Archiepiscopo Aduocatiā S. Maximini, de qua nec verbo meminit. Nam hæc verba solum continent: *Proprietatem seu quasi Monasterij S. Maximini, extra muros Treuirensis, Aduocatiā Monasteriorum de Wadegasse & Sprinchersbach.* Quæ quidem si ita in Originali diplomate contineantur, nihil probant de Aduocatiā S. Maximini, cum solum agant de Aduocatiā aliorum Monasteriorum: Quin immò eam ad Wenceslaum fratrem Ducem Luxemburgensem pertinere Carolus Quartus clarè agnouit, mandato ad illum, vt Monasterij Aduocatum misso, quod habes sub Num. 38.

Quod verò Imperator ille in dicto diplomate dicatur confirmare proprietatem seu quasi, Monasterij Archiepiscopo, nihil Iuri nostro obest; quia vt iam sæpius diximus, eiusmodi Confirmationes impetranti nihil noui Iuris attribuunt, sed tantum si quod ante habebat, confirmant, & de more nunquam denegatur; neque tertio quicquam Iuris per illa tollitur, quantumuis clausule: *Ex certa scientia, de plenitudine potestatis, & similes, vt in earum expeditione fieri assolet, inferantur.* Vide Gaylium, *lib. 2. obseruat. 58. in fine.* Alexandrum, *lib. 7. conf. 215. n. 5. & seqq. & lib. 4. conf. 122. nu. 25. & conf. 125. quod est Barbatia nu. 15. & seqq. & DD. passim.*

Adde, & nos habere æquè confirmationem Iurium, Libertatum, & Regaliū nostrorum ab eodem Imperatore, quæ exhibetur sub Num. 40.

Vtèrius itaque ad scaturiginem Iurium vt inque retrogrediendum est, fundamentum, cui Confirmatio innititur, inuestigandum, quod ex Archiepiscopi parte omnino nullum esse demonstratum est, atque ita Confirmationem illam corruere necesse est; cum nostra solido fundamento innixa subsistat.

Quinto, asserit Diploma Maximiliani I. Imperatoris sub lit. Z. num. 1. in quo Aduocatiā S. Maximini Archiepiscopo confirmatur. Sed & illud est Confirmatorium diploma, proinde nihil Iuris tribuit Archiepiscopo præter, si quod ante habuit, quod nullum fuit, de quo insuper in refutatione voti. Sect. 10. dictū,

Quamquam etiam Maximilianus I. amplissimè iura & Diplomata S. Maximini confirmavit & signanter Protectionem Ducum Luxemburgensium agnouit ac claris terminis stabilivit, idq; Treuiris de Consilio Principum, ex certâ scientiâ, de plenitudine potestatis. Vide Diploma eius sub N. 6.

Idem quoque dicendum est de consequentium Imperatorum Diplomatis Confirmatorijs, qui omnes, vti & Maximilianus, omnia nostra Priuilegia ac iura æquè confirmârunt, & Aduocatiam Luxemburgensium Ducum agnouerunt & approbârunt, vti constat ex ijs, quæ parte 1. cap. 3. latè deduximus.

Denique dicit Religiosos Maximilianos repudiata protectione Luxemburgensi, Gallicam nouam fuisse machinatos.

Sed hæc mera calumnia est: neutrum existit à nobis factum aut cogitatum, tamen, quando Rex Christianissimus Treuiros occupauit, fortassis salua-guardia ab illo fuit petita, ad sacræ domus & suppellectilis aduersus militarem insolentiam, conseruationem, quod nemini in talibus circumstantijs vitio verti debet.

Itaque discursus ille, quem à num. 93. vsque ad finem partis illius auctor facit, quo per multas rationes ostendere conatur Regem Galliæ non debere hanc Protectionem suscipere, & olim fuit, & multò magis hodiè prorsus est inutilis.

Quæ verò in fine adijciuntur de Electione, confirmatione & beneplacito Archiepiscopi circa Abbatis creationem: ex dictis nullo negotio refutantur; cum enim pro fundamento istorum supponat Author libelli Archiepiscopo ius supremum territorialis Domini in Abbatiam competere, illo penitus euerso & ipsi adiudicato, etiam à præfensa potestate in Electionem Abbatis eiusdemque confirmationem vniuersim excluditur.

Quæ verò hoc paragrapho diximus ostendunt clarè, quàm temerè & nullo fundamento Libelli auctor toties & ad nauseam lectoris ingerat & asserere audeat, Aduocatiam & protectionem Luxemburgensem Imperatorum sententijs pridem condemnatam, cassatam, annullatam, inualidam, fuisse & esse: Cum nec vmbra vlius sententiæ contra illam proferatur, & tot Imperatorum Decreta, Mandata, Diplomata illam ab omni sæculorum memoria Stabiliuerint, quæ parte 1. cap. 3. Sect. 1. retulimus.

CAPVT SECVNDVM.

Respondetur strictim secundi Libelli parti.

E Versis prioris Manifesti contra iura Monasterij nostri fundamentis, ruunt quoque sponte sua, quæ auctor anonymus in posteriore hoc de Pontificatu turbato, magno verborum & criminationum apparatu, contra Cæsarem Ferdinandum II. gloriosiss. mem. contra Regem Hispaniarum Catholicum eiusque Ministros, contra Abbatem electum & Conuentum nostrum profundit.

Quibus dictis omnibus acerbioribus cum respondere non sit operæ pretium, tum quia ex se abiecta est & contemptibilis maledicentia, tum quia negotium illud Commendæ, cui totus hic discursus innititur, factum peculiare est moderni Domini Archiepiscopi, cuius quæstio adhuc suspensa, neque dum plenè cognita est: tum denique, quia Manifestum illud eo tempore editum est, cum Archiepiscopus modernus in summo fortunæ blandientis fastigio constitutus, Cæsaris ac Regis Catholici potentiam Treuiris credebat debellatam;

qui sanè rerum status hodie adeo immutatus, facit, vt parui facienda sint, quæ auctor ille passim siue dicit, siue minatur.

Verbo nihilominus, vt Lectori plenè satisfiat, visum est attingere ea, quæ hoc Commendæ negotium concernunt.

SECTIO PRIMA.

§. I. *Recitatur intentio ac modus impetrandi Commendam.*

Notum est ex hætenus dictis, quantis animis D. Archiepiscopus contendat Abbatia Maximilianæ Dominium ad se pertinere illamque in temporalibus æquè ac in spiritualibus sibi subijcere, eiusdem temporalitates, commoda, emolumenta, suis vñibus adijcere. At verò quam illud iniuste moliat, ex dictis quoque patet, nimis autem sciens, quam opportunum ac certum esset medium propositum suum conficiendi, si in Monasterium aliquam auctoritatem quacunque vià adipisceretur, occasione de commendâ cogitandi oblatâ, illam feruentissimè arripuit viamque nullam prætermisit, qua ad illam perueniret.

Pendente illa coram Cæsarea Maiestate lite, obierat anno MDCXXIII. mense Octobri Petrus dicti Monasterij quondam Abbas, in eiusque locum, adhibitâ diligentissimâ curâ, fide optima electus erat de Monasterij gremio modernus Abbas D. Agritius à Reckinga, Vir probatissimus, laudatissimus, & omni exceptione maior, de quo, cum sit superstes, nihil aliud dico, quàm, quod infensissimi eius aduersarij contra personam aut mores ipsius nihil vnquam obijcere potuerunt, nisi illud (magnum nempe crimen) quod Libelli auctor posuit, quod sit patriâ Luxemburgensis:

Electionem istam apud Sanctam Sedem Apostolicam mox omnibus viribus cœpit D. Archiepiscopus concutere eo fine, vt illa disturbata, Commendam præfatæ Abbatia impetrare à sancta Sede posset.

Agens itaque illius, Romæ primum criminatus est, confirmationem tardius à sancta Sede petitam, contra dispositionem *cap. cupientes, de electione in 6.*

At certum est confirmationem à sancta Sede post electionem peractam, & processum eius confectum, illico petitam, missa ad manus Nuntij Apostolici Leodium initio Nouembris sequentis, electionis processu, qui illum Romam destinaret, dato insuper mandato agenti Monasterij, vt Romæ confirmationem mox peteret, quod & factum.

Itaque alterum suggestit ad electionem impugnandam: nempe illam non fuisse canonicam ob non seruata formam & solemnitates Capituli, quia propter. *de elect. in 6.*

Atque ita effecit, vt, priusquam electio in Consistorio Cardinalium examinaretur, an Canonica esset & confirmanda, nullo iudicio habito, nec vllâ tractatâ lite super validitate vel inualiditate electionis, Commendam pridie nonas Februarij anni 1624. obtinuerit.

In illius autem Commendæ petitione celata magnoque silentio prætermissa fuit his illa ardua de statu Monasterij coram Cæsarea Maiestate agitata, feruida etiam ista Archiepiscopi ad Monasterium anhelatio, Monasterij item status & conditiones, ac denique omnia, ob quæ Sua Sanctitas dubiò procul illius petitioni non annuisset.

Sed & compertum est, alias persuasiones intercessisse, inter quas & hæc erat, quod romæ spargerentur D. Archiepiscopi in Augustam Domum Austriacam merita & alia similia, ex quibus Summus Pontifex ad gratiam Principi Electori impertiendam facile (quæ eius est benignitas) permoueretur, itaque illam impetrauit 4. (vt diximus) Februarij, Anni 1624.

Posteaquam autem illam obtinisset, longo post tempore, curatum est ab eiusdem Archiepiscopi Agente, vt tum demum præfata electionis examen, non ad Cardinalium Consistorium (ad quod secundum Lateranensis Concilij decreta discussio illa pertinet) sed ad Rotam Romanam remitteretur.

Vbi solo Archiepiscopi Agente informante, Conuentu, aut Abbate electo, nullo modo audito, tandem 20. Nouembris eiusdem Anni 1634. decem pene mensibus post Commendam impetratam, decisio in præiudicium electionis emanauit.

Contra quam decisionem, quædam deinde ab Agente Srenissimæ Isabellæ Hispaniarum Infantæ, Belgij moderatricis & Protectoris vicem gerentis pro validitate electionis repræsentata fuerunt in eodem Rotæ Consistorio.

Sed cum iam antea, sola parte altera informante, opinio dicta esset, mutari difficile erat, atque adeo per secundam decisionem 25. Februarij, anni 1635. prior decisio fuit adprobata.

Eiusmodi autem Commendæ impetratione & ex præiudicatione fretus D. Archiepiscopus, per Procuratorem suum qui clam in Monasterij Sancti Maximi templum ingressus fuerat, Abbatæ possessionem adire est conatus, & mox iura omnia eiusdem Monasterij atque redditus ac possessiones occupare.

Cui conatui non modo Abbas electus & Conuentus, sed multò maximè Cæsar & Imperium, atque etiam Rex Catholicus, vt Dux Luxemburgensis & hæreditarius Monasterij protector, se iure optimo opposuerunt; cuius rei rationes aliquas ordine ac breuiter percurremus.

§. 2. *Tanguntur rationes nonnullæ & fundamenta, cur Imperator & Rex Catholicus Conatibus D. Archiepiscopi obstiterint.*

RATIO PRIMA.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quia Archiepiscopus (etsi Electio nulla foret) multis nominibus sit ac fuerit incapax Commendæ.

Quali sit animo erga Monasterium, dico non solum erga personas modernorum Religiosorum Conuentum constituentium, sed erga ipsum Monasterium istiusque loci Religiosos, in genere docet ipse libellus, nec alio teste opus est; Erupit in illo inueteratum vlcus. Videas Monasterium Religiososque ab omnibus retro sæculis in libello acerbissimè diffamari, iniurijs aperte iniquissimis in omni diffamationum genere lacerari, criminum, dolorum, falsitatum, seductionum, artium pessimarum, fraudum, mendaciorum, versutiarum, impudentiarum, perfidiarum, frontium, maliciarum, pessimarum intentionum, periuriorum, defectionum, rebellionum, ac denique omnium acerbissimum, quas malè affectus animus eructare queat, calumniis impeti. Sed & ve-

neficioꝝ, præſtigiarioꝝ, à quibus nullus tutus eſſe potuerit, conuitia ab illo audire ac pati debuit Religioſa hæc Domus; Quam in rem ad tēpora anni 1024. recurrit. Verūm quam id iniquè iniuſteque faciat, alibi oſtendimus: Si omnia acerbè dicta vellemus exprimere, oporteret totum libellum huc tranſcribere, qui nihil habet præter conuitia, inuectiuas, ſarcasmos, ludibria, contumelias, criminationes in Religioſos, Religioſumque ordinem quos neque reperias vel ſemel tantum in toto Libello, Religioſos nominãſſe, ſed ſuis ſolitis iniurioſis verbis, refractarios, rebelles, deficientes, quod ſi vocet aliquando Monachos, Cœnobitas, oſtendit ſatis per additas criminationes per contemptum his vti ſe nuncupationibus. Cui & illud ſimile eſt, quòd nec dignatus ſit Societatem Ieſu nominare, eo tamen nomine à Pontificibus approbatam, ſed Societatem Ignatianam, ex quo affectus erga Religionem Religioſoſque dignoſcitur: Et quia talium dictorum hic mentio ad ius noſtrum conducit, nec falſa conuitia formidamus: ideo viſum fuit eum in finem ex Libelli textu aliquas lineas exempli cauſa annectere, *quæ nu. 14. & 15. in libello ſignantur, & ita habent.*

Quibus & criminibus ſimilibus falſorum, apertis dolis, aſtutiis, ſigmentis, fraudulentis que ſubſtructionibus, bello etiam & armis Potentiorum, Cœnobitæ Monasterij Sancti Maximini, fundacionibus ac donacionibus Archiepiſcoporum, inſolentiores facti, Pontifices, Imperatores, exteroſque Principes contra Archiepiſcopos ſuos concitarint, quibusque præſtigis, à quibus nullus, maximè circa annum Chriſti 1024. tutus eſſe potuit, ad machinationes ſuas peruerſas adimplendas, uſi ſint, & quomodo dapes, omnibus pudoris ac reuerentiæ clauſtris refractis, atteſtante Chriſtophoro Brovvero Societatis Ignatiana, in annalibus Treuirenſibus, veneno linerint, atque pocula lethifera miſcuerint, Archiuum Archiepiſcopale & Annales Treuerici pleniffimi ſunt, nec vno volumine conſcribi poſſet. Iſdem etiam artibus peſſimis uſi, ſchiſma Pontificium, temporibus Ottonis Secundi, in Sede Apoſtolica exortum, nec non eiufdem Ottonis, contra Lotharium Francorum Regem (cui Egebertus Archiepiſcopus, è Britannia Comitum ſanguine oriundus & conſanguinitate & amicitia coniunctus erat) diſidia ac bella quaſi fraudum ſuarum optimam occaſionem in prætenſa ſua commoda, arripuerunt, ac ab eodem nonnullisque in ſchiſmate Pontificibus, per falſa narrata, inualida Diplomata ſub & obreptitiè extractarunt. Simili planè verſutia iſdem Monachi, Henricis, IV. & V. ſchiſmaticis & excommunicatis Regibus Romanorum, ac Gilberto & Petro Leonis Pſeudo Papis contra Archiepiſcopos ſuos Egilbertum & Brunonem, legitimis Pontificibus adherentes, iſſque coniunctiſſimos aſtutiſſimè ſe adiunxerunt. Hæc Libellus. Iſtorum autem refutationem particularem, habes Prima parte capit. 3. Sectione quarta §. 2. & 3.

Adde & nunc illuſtrem iſtam ſententiam anni 1633. diei 19. Decembris, quæ ex iſtis calumnijs prodijt in qua nihil niſi flammæ & ignes fulmina, tonitrua.

At tali tam acerbò, tam capitali inimico non committi debere neque Monasterium, neque Religioſos, clamant omnia Iura Ciuilia, Pontificia, naturalia, diuina. *Clement. Paſtoralis de ſentent. & re iudic.*

Et fanè vel ex ſimplici naturali ſenſu palàm eſt, quod ſi tam potens ſimul ac acer, & infenſus, contra Abbatia ſtatum aduerſarius, Abbatis loco conſtitueretur, qui ſummæ rerum præeſſet, cui liceret iubere, vetare, de temporalibus, de ſpiritualibus diſponere, Religioſos admittere, dimittere, adiuuere, remouere, ſupprimere, inducere vel cogere, Archiuia, documenta in ſuam poteſtatem redigere, redditus potiſſimos aliò deriuare ſeu conuerrere, Religioſis minima

parte relicta, ære ac opibus, quæ omnium rerum neruus sunt, ab illorum potestate subtractis, funditus actum foret de Abbatia. Atque illud verum esse euentus docuit, vt infra particularius insinuabitur.

Ac vt ista malevolentia particularia indicia abessent, suffecerit & ipsa sola litis istius grauis de Monasterij statu tunc pendens ratio, vt inidoneus habeatur cui illud crederetur.

Argumentum inimicitia probanda sufficiens est ex graui lite: vt, si est lis de causa status. *Iacobus Menoch. de præsumptionibus lib. 5. præf. 43. n. 4.* Idem & quando existit lis de omnibus bonis, vel maiori eorum parte. *Idem ibid. n. 5. & de arbit. iudic. cas. 110. n. 4. 5. 6. alleg. Bald. in l. parentes C. de testib. Ancharan. consul. 16. col. 4. in fin. lib. 2. Crauett. conf. 21. n. 3. & alios.*

Hinc emanat Iudicis suspecti aut inimici recusatio, ne ei eiusue arbitrio vel minimum de rebus fortunisque illum perhorrescentis, relinquatur:

Nam quid gratius & amabilius dare quis inimico potest, quam si ei ad impendendum commiserit, quem lædere fortè voluerit? *text. in cap. Quod suspecti caus. 3. quest. 5.*

Et quodammodo naturale est suspectorum Iudicium infidias declinare, & inimicorum iudicium velle refugere. *text. ibid.*

Sed particularius ad nostrum Commenda casum specialiter per Iura constitutum est, ne tutela credatur illi, qui litem cum pupillo (cui & Ecclesia comparatur) gerit.

Et quidem ita semper per Leges prouisum fuit, vt qui de statu contra pupillum litigaret, eiusdem Tutela incapax foret. *l. Si duas 6. §. amplius ff. de excusat. tutor.*

Pariter & ille, qui de multa parte bonorum litem cum eodem agitarer quamuis isto eodem digestorum iure non prohiberetur à tutela, cui leuis, nec de maxima bonorum parte lis esset. *l. propter 21. ff. eod. de excusat. tutor.*

Sed progredientibus temporibus Imperatores experimento pupillorumque periculis docti, cauendum esse perspexerunt, ne vllus minorum Creditor; siue ipsum minorem, siue res eius obligatas haberet, vlla ratione ad eius curandas admitteretur, atque ita constituerunt, *nouella 72 §. 1. & nouel 94* Ne fortè vel cautionem aliquam subtrahat, vel alio quouis modo eas, quæ apud minores sunt, probationes auertat, easque in minoris ipsius fraudem reticeat, vt *Gothof. in authentica minoris debitor C. qui dare tutores vel Curatores pos. & c.*

Sed verba ipsarum legum audiamus.

Nuper scripsimus (ait textus) legem super cura minorum (malignitates, quæ circa eos sunt ex frequentibus litibus quæ apud nos agitantur, inuenientes) quatenus nullus obligatus existens minoribus, aut obligatos eos habere dicens, curam exerceat, ne forsan in potestate rerum factus, agat aliquid circa minorem malignitatis; & lex ipsa nobis rata sit, & expressenti firmata. textu nouel. 94. in princip.

Nouell. autem 72 ita habet in rubric. Vt hi qui obligatos se habere perhibent res minorum, aut obligati sunt eis, ad eorum gubernationem penitus non accedant.

Et cap. primo. *Hec omnia lege corrigere volumus, & præcipue illud, vt si quis obligatum habuerit minorem, aut eius res: hunc non omnino ad curacionem eius, vel si à Legibus vocetur, accedere. Quid enim non agat pro se, Dominus eiusdem existens, & aduersarij rerum detentator nuper effectus? propter hoc enim & illud sancimus, vt si apertissime manifestum est, quia is, qui sit administrator, ipse est iuri minoris obnoxius: neque ipse Curator erit, necubi aut curacionem furctur, aut alias probationes, quæ erant minoris, corrumpat: & curatio*

fiat ei rerum interitus propriarum. Hoc itaque lege tutissimâ colligetur, ut nullus eorum, qui obligatas perhibent habere res defuncti, ipsumque minorem, aut eius res, aut etiam, qui apertè obligatus existit, ad curationem eius accedat: neque habeat licentiam tale aliquid agere.

Et cap. 3. Etsi hoc factum fuerit, tutelam non contingere neque curam, sed eum ab ea re procul expelli; ne ex hoc ipso hostem & non Curatorem adolescentulo praebeamus.

Vbi Gothofred ad verb. hostem: Presumitur, inquit, hostis pupilli, qui litem aduersus eum habiturus est.

Quam rem nostram, textus illi tetigerunt: nec alium testem in probationem facti, quam ipsa libelli monumenta aduocamus.

Exiguo illo tempore, quo Archiepiscopo dominari licuit, votisque potiri, qualiter sese erga Abbatiam gesserit, quid in eam statuerit, dicit illa eadem eius sententia anni 1633. 19. Decembris, cuius textum paulò infra adscribemus; Legi expedit, nec aliquid in illa est non dignum visu, meditatione, stupore. Tacemus illas vocum acerbitates, æ qui nimirum animi erga viros Religiosos indicia. Sed de rebus, quid? Se Abbatix perpetuum Dominum constituit, omnimodâ Iurisdictionem, Ecclesiasticam & temporalem in & super eandem Abbatiam, eiusque subditos, sibi addicit, portionem illam sibi pro Commenda assignatam, id est, duos bonorum Abbatix trientes, Archiepiscopatu Treuirensi incorporat, donec viginti octo mille, octingentos & quatuordecim coronatos, Abbatia illi ex integro pro pensionibus persoluat. Id parum est, sed insuper donec de sue præsentis Commendæ fructibus plenè respondeat; Neque hoc satis sed & quotusque de illatis (vt ait) damnis quæ ad miliones ascendere alibi asserit, plenariè satisfiat; id est, in perpetuum, duos illos bonorum trientes Archiepiscopatus annectit, & ab Abbatia auellit, neque hoc totum est, sed & alia præterea viginti millia coronatorum octingenta & triginta nouem ab reliquo misero disperso ac directo bonorum triente diuellenda, ac corradenda, sibi adiudicat, per viam executionem exigenda; idque in solutionem contributionum, à quarum exactione ipse Archiepiscopus, iure ac Iustitiâ, per Imperatoriam sententiam, paulò ante repulsus ac reiectus erat, & vt non posceret, condemnatus. O custodem! ô vindicatæ Ecclesiæ Tutorem, depositarium, commendatarium!

Quod si talia Sanctissimo Domino nostro innotuissent, dubium non est, quin prosequenter ab Abbatia repulisset.

Beneuola enim est S. Sedes & diffusiuâ sui, omnibus bene facere prona, sed & iustissima simul ac æquissima; neque admissura, vt ab eius authoritate quidquam prodeat, vnde alterius ius offendatur, vel tam manifestis occasionibus periclitetur.

Et sanè Sux Sanctitatis intentionem fuisse, vt non de noxio sed de proficuo Moderatore prouideret: constat ex hisce ipsius Bullæ clausulis, *vt Gubernatorum utilium fulciantur presidio. Item: Ac etiam eidem Monasterio de Gubernatore UTILI & IDONEO, per quem circumspectè regi & salubriter dirigi valeat, prospicere volentes.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex dictis sequitur Commendam, illiusque executionem ipso iure nullam esse.

Rescripta gratiæ ad beneficia subreptitia, sunt ipso Iure nulla; quia cum loco ti-

culi habeantur, illis annullatis, & titulus nullus remanet. *Petrus Rebuffus praxi benefic. tit. differ. inter rescripte. gratia & iustitia nu. 1. Clem. 1. ibi. nullus moment. de prebend. cap. ad aures. cap. constitutus & cap. Ad audientiam, & ubique D. D. de rescripte. l. 1. ibi. nihil videri impetrasse. ff. de natal. restit. gloss. in verb. lueras extra sedes: de concess. preb. in extra. 10 an. 22.*

Etiam Processus & Sententia Executoris lata Rescripti subreptitij ratione & alia, sunt nulla, *Idem Rebuffus eod. tit. n. 3. per text. in C. cum nostris. de concess. prebend. 161.* Factum obtentu litterarum nostrarum, eo quod per falsi suggestionem & veri suppressionem fuerant impetratae, haberetur irritum & inane. *cap. si proponente de Rescripte. Et quidquid occasione litterarum factum fuit. d. cap. constitutus in fine.*

Nam executio est accessoria ad gratiam, quae si fuerit nulla, & accessoria, videlicet executio, nulla remanebit; *Idem Rebuffus ibid. n. 4. l. cum principalis ff. de regul. iuris. Innoc. in cap. ex literis de Offic. deleg. Rom. sing. 330 circa primum col. 1. cum sequ.* Et si literae mandati sint valida, sic & literae executoriae. *cap. si super gratia de Offic. deleg. lib. 6.*

Neque in hoc casu saluat nullitatem clausula motus proprii:

Quia motus proprius non inducit dispensationem alicuius inhabilitatis, nec tollit defectum personae; Nam verisimile est, quod Papa gratiam non fecisset, si inhabilitatem sciisset. *Rebuff. in forma Mandati Apostol. verbo, motu proprio vers. sexto: non inducit. & vers. septimo: non tollit. Iacob Menoch. de arbit. cas. 201. numero 81. 82.*

Item quia non tollit defectum intentionis concedentis; & illa quae non possunt opponi per viam subreptionis, opponuntur tamen per viam Iuris communis, cum proprio motu talium, dispensationem non faciat. *Gloss. ad cap. Si motu proprio de prebend. in sexto. Rebuffus ibid. vers. octavo non tollit. Hieronym. Gonzalez ad regul. 8 cancellar. gloss. 32. n. 5. Iacob Menoch. d. cas. 201. n. 81.*

Item, motus proprius non tollit subreptionem, quae re ipsa & ex Pontificis intentione provenit, & ideo, si qualitas beneficii in impetratione expressa non sit, vitiatur ob omissionem, etiam si gratia cum motu proprio concessa fuisset. *Iacob Menoch. d. cap. cas. 201. n. 64.*

Item licet clausula motus proprii regulariter videatur tollere subreptionem, non tamen tollit defectum intentionis principis aliquid motu proprio concedentis. *Alexand. lib. 7. conf. 215. n. 1.*

Item motus proprius non tollit impedimenta iuris communis *Alexand. ibid.* Hinc si Papa faciat gratiam de beneficio Curati vel Principali in aliqua Ecclesia; talis gratia dicetur subreptitia, nisi in ea fiat mentio de cura vel principaltate beneficii, *Idem ibid.*

Item clausula ex certa scientia, nihil operatur, nisi in his, de quibus praesumitur Principem habere scientiam, sicut sunt ea quae consistunt in iure, id est, in ipsis legibus, non autem operatur in his, quae Princeps praesumitur ignorare, qualia sunt ea, quae sunt facti. *Idem Alexand. ibid. n. 6.*

Item, quando substantia Rescripti est obreptitia, Rescriptum est censendum obreptitium; & non obstat clausula, ex certa scientia, quae tanquam accessoria non validat Rescriptum gratiosum, sed capit naturam sui Principalis. *Idem ibid.*

Item, quia motus proprius non tollit ius tertij. *Idem Rebuffus ibid. versiculo nono.*

Quia Papa non videtur velle praedjudicare iuri Tertij. *Idem ibid.*

Etiā iuri ad rem. *Ibid.*

Etiā si ageretur de modico præiudicio. *Ibid.*

Nam ista clausula, est similis Testamento, quod, ut plurimum, sit motu proprio: & tamen Testator non præsumitur velle iniuriam facere. *Idem ibid.*

Item non tollit illa quæ sunt naturalia, quia sunt immutabilia. *Petrus Rebuffus loco sup. citat. vers. 15.*

Quamvis etiā verum sit, quod multa rescripta & multæ gratiæ conceduntur motu proprio, non ex motu proprio, sed propter instantiam partium: quæ cessante, Princeps non poneret clausulam motu proprio; ut iisdem illis verbis testatur *Card. Tuschus verb. motus proprius, conclus. 404. n. 6. allegans Cardin. Zabarel. conf. 142. in fine.*

RATIO SECUNDA.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quia Abbatia est status ac membrum Imperij.

Archiepiscopum illud Sanctissimo Domino nostro non indicasse, vel ex hoc satis intelligere licet; quod contendat Abbatiam esse suam, etiamnum posteaquam ab illâ per Imperatoriam sententiam est exclusus; unde & conijcitur eundem illam proposuisse suam esse, neque aliud peculiare, quam alias Abbatis Treuirenses habere. Quin & idem dignosci potest ex inscriptione decisionis secundæ, à sacro Rotæ consistorio datæ, quæ ita est: *in causâ Treuirensis Abbatie S. Maximini.*

Vnde contingit, ut à Sanctâ Sede integrum bessellem, siue trientes binos ex omni Abbatie temporalitate distrahendos sibi que applicandos obrinuerit.

Quantum autem momentum sit, ut Imperij membra, statusque in sua integritate ac plenitudine, quoad temporalia consistant conferenturque, illud ipsum melius ab vniuersali Imperio dici poterit, quod vtrique per suarum partium mutilationem debilitatur & in suo corpore sentit detrimentum: quod suis membris infertur; Itaque illud Imperatorie Maiestati, Imperioque tractandum relinquimus.

Hoc solum hic attingemus, Sanctæ Sedis intentionem non esse, ut in suis statibus membrisque Sacrum Imperium labefacteretur, lædatur aut infirmeretur: Ac proinde quod ab Archiepiscopo impetratum fuit, non concessuram fuisse, si non tacita fuisset illa Monasterij qualitas ac conditio.

RATIO TERTIA.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quia Abbatia est foundationis Imperatorie.

Fundata, constructa, dotata est Abbatia Maximiniana ab Imperatoribus ac Regibus, ut Religiosi pro eorum salute Deum orent, cum hac expressâ lege, ne quidquam de eiusdem bonis, eam in rem, assignatis diminuat vel

ad alios vsus transferatur, atque vt Abbates ex Religiosis eligantur & consti-
tuantur.

Probat per Diplomata, quæ tertia parte edidimus, atque etiam per ea, quæ
in prima huius operis parte dicta & deducta sunt:

Quod si illud Summo Pontifici innotuisset, dubio procul foundationi Impera-
toris præiudicium inferre nolisset, neque per externæ à Religiosis personæ
in Abbatiam Abbatibusque munus immisionem neque per duorum trientium
ex Religiosorum Abbatiaque bonis translationem; *non enim consueuere Sum-
mi Pontifices talibus derogationibus vti propter Regiæ dignitatis celsitudinem, vt
ait Didac. Couarrun. practic. questio. capit. 36. numero 6. vers. secundum in iure
patronatus.*

Sed neque de facto derogauit, nec de foundatione Regiæ vllam mentionem
fecit; quamuis ad inducendam derogationem id ipsum fieri necessum foret,
idque expressè etiam in simplicissima foundatione laica, cuiuscunque priua-
ti, ne dicam. in summa illa Imperiali Regiæque celsitudine. *Idem Couarrun. eo-
dem cap. 36. n. 6.*

Quod & adeo necesse est, derogationem fieri expressam in quorumlibet
laicorum, etiam priuatorum iure, vt non sufficiant clausulæ generales dero-
gatoris, etiam si adesset clausula motus proprii, vel clausula, non obstant. *Pe-
trus Rebuffus in praxi benefic. tertia parte signatura in verbo necnon Iuris Patron-
atus numero nono alleg. Felin. in suo tractat. Quando littera Apostolica noceant
Patrono.*

Vt id omittamus, quod contra similes derogationes passim in Regnis stati-
busque Christianis vsu ac obseruantia in Reipublicæ bonum introductum esse
cernitur, vt non admittantur, tanquam per importunitatem ac contra Sum-
morum Pontificum intentionem extortæ. Sed ad eundem Summum Ponti-
ficem super similibus impetrationibus rescribatur, ad Suam Sanctitatem infor-
mandam, benignissimè rationes auditoram, & admissuram, importunæque
impetrationi remedium allaturam. *Teste eodem Couarrun. d. cap. 36. n. 3. & sequen-
tib. vbi inter cetera hæc habet.*

*Hæc verò (ait) derogationes, an Reipublica Christiana conueniant, præsertim v-
bi frequentissimè contingunt, nimirum precibus, ne dicam ambitiosis, ac falsis ex-
positis causis, aduersus ipsam Sanctorum Pontificum voluntatem impetrata, ipsi
viderint, qui nihil aliud curant, quam hisce, vel alijs modis contra testatorum
ultimas voluntates, & veterum Canonum decreta nullum Ecclesiæ ministerium
exhibentes, pluribus sacerdotijs & beneficijs iniquissimè ditari. Apud Hispanos mi-
nimè derogationes istæ admittuntur nec admitti consueuere. Imo suprema Regis tri-
bunalia, & qui Regio nomine illic iustitiæ ministerio præsunt, statim Apostolicas li-
teras examinantes propter publicam utilitatem, earum executionem suspendunt,
earundem vsu grauissimis pœnis & comminationibus intercidentes, Idem & apud
Gallos fieri testantur. Petrus Rebuffus in praxi beneficiorum 3. parte signatura
in verb. necnon Iuris patronatus, numero duodecimo & trigesimo sexto. Idem Re-
buffus in tract. de nominationibus quest. 15. numero 2. & Carol. Molin. in regul.
Cancell. de infirmis resignan. num. 32.*

RATIO QVARTA.

ARTICVLVS QVINTVS.

Quia Archiepiscopus Commendam impetrauit ante deuolutionem.

Illud palàm est, quod Sua Sanctitas maximopere intendat stare pactis siue concordatis cum Natione Germanica initis, eademque conseruare ac obseruare: per ea autem pacta conuentum est, vt electionibus suum sit robur, neque aliter aut aliàs à Sancta Sede contra illas prouideatur, quam si ob lapsum temporis ad confirmationem prosequendam præfinit; aut, ob non Canonicam electionem, deuolutio ad Sanctam Sedem contigerit.

Atqui certum est confirmationem tempore præfixo fuisse petitam, neque vllam culpam ea in re Conuentui aut Abbati electo posse imputari.

Vt autem electio pro non Canonica haberetur ad effectum deuolutionis, opus erat vt sententia nullitatis declaratoria, & quod necessarium est, antecedens causæ cognitio, instructa lite, & parte audita, præcederet.

Siquidem illo casu quo Electores non eligunt scienter indignum, sed error tantum accidit in electionis forma, non priuantur electione, neque fit deuolutio ipso iure, sed tantum per sententiam, *cap. quauquam de elect. in 6.*

Atqui impetrationis tempore, non solum nulla lata erat contra electionem electoresque sententia (vti neque ad hoc vsque tempus vlla lata est) sed neque vlla negotij examinatio tractata fuerat.

Quod sanè manifestissimum est; & patet ex hoc ipso, quòd Archiepiscopus determinationem nullam aliam obtendat, quam illas binas à Rota Romana profectas decisiones:

Quæ tamen decisiones longè posteriores sunt ipsa Commendæ concessione: Siquidem Commendæ concessio & ipsa Bullæ expeditio est data pridie Nonas, quæ quarta est, Februarij, anni 1634.

At prima Rotæ decisio est data 20 Nouëbris eiusdem anni, decem pene mensibus post Commendam, quæ omnia ex ipsis actis liquidò parent.

Et tamen secundum ius commune (vt authoris verbis vtatur) collatio facta ante deuolutionem non valet, quia antea Collator nullam conferendi potestatem habebat in beneficio non deuoluto, nec conualescit nisi de nouo conferatur post tempus. *Petrus Rebuffus præxi beneficiorum tit. de deuolutionibus n. 32.*

Quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de iure donare; nec ista Collatio coloratum præbet titulum, quia omnino est nulla. *Id. ib.*

Cui vtique iuri Suam Sanctitatem se conformare intendere, dubitandum non est, præsertim intercedentibus pactis: & contra eius intentionem esse, si quid aliud, aut per importunitatem, aut per aliam circumventionem impetretur aut eliciatur, cuius rei rationes latè deductas *Vide apud Hieronym. Gonsalez sup. reg. 8. Cancel. glos. 28.*

RATIO QUINTA.

ARTICVLVS SEXTVS.

Sumitur è Bullæ textu.

Ipsa Bulla longè anterior est decisionibus Rotæ, vt iam diximus, & tamen in eadem Bulla mentio fit earundem decisionum hisce verbis: *Præfata verò electio, de mandato nostro in Sacro Rotæ auditorio examinata non esse talis quæ veniret confirmanda, seu minus canonicè ac præter ac contra Sacrorum Canonum formam facta fuisse per binas decisiones declarata fuerit, Nos propterea, &c.* Illic fundatur Bulla in decisionibus, quæ tamen tempore Bullæ non extabant, nec erant in rerum natura.

Vnde dignosci potest, clausulas in Bulla insertas non innotuisse Summo Pontifici, nec subsistere posse Bullam, errore illo obstante.

RATIO SEXTA.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Ex alia Clausula depromitur.

Clausula etiam inseritur in Bulla (saltem vt illa promulgata & à perillustri Domino Husmanno, Metropolitanæ Ecclesiæ Treuirensis Præposito, tunc se pro eiusdem Bullæ executore gerente, insinuata fuit) incipiens: *Decernentes præsentis litteras, &c.* per quam constituitur, vt valeant litteræ, etsi non vocati, neque auditi fuerint Abbas electus & Conuentus, causæque, ob quas electio nulla existeret, verificatæ non fuerint, vtque non audiantur aut admittantur in allegatione vltiarum causarum, quantumuis iustissimarum. Quam sanè clausulam non processisse ex mente aut intentione Summi Pontificis, verisimillimum est, cum tollat ipsam iustitiam siue iustissimarum causarum allegationem atque etiam ipsam defensionem, quam nec tolli posse, tam ipsum naturale ius, quam etiam Pontificium ac ciuile statuunt: *Clement. Pastoralis, de sentent. & re iudic.*

Et aptè ad hoc propositum *Card. Tusch. verbo rescriptum conc. 219. nu. 8.* Amplia, inquit, quia non valet rescriptum, per quod quis priuatur bonis suis sine citatione & iustificatione; quia talia rescripta non consueuerunt concedi, sed præsumitur circumuentus, & deceptus Princeps, talia concedendo; ideo debet executor etiam merus supersedere, & rescribere & expectare secundam iustionem. *Bald. Conf. 359. proponitur quod inter, per tot. lib. 1. Alexand. conf. 123. viso processu in sine lib. 2.*

RATIO SEPTIMA.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Ex eadem Clausula.

EX illa autem Clausula, *Decernentes, &c.* conuincitur, Abbatem Conuentumque non fuisse vocatos nec auditos, causasque ob quas electio nulla exi-

steret, iustificatas aut verificatas non fuisse; vnde adhuc superest, vt audiantur & de electionis validitate aut inualiditate, per sententiam pronuntietur, tam ex iuris communis, quam particulariter ex concordatorum Germanicorum ratione.

Conuincitur etiam per eandem clausulam, quod persuasum fuerit, Abbatiam Maximinianam subesse ordinario loci, vt ex textu patet: vnde colligitur, quam non innotuerit Summo Pontifici qualitas conditioque Abbatia.

Quæ hic Iuris nostri tuendi causa, omitti non debere credidimus, certi, quod id bonâ cum veniâ ac gratiâ Sanctissimi Domini nostri faciamus, cuius certissima est voluntas pro eius eximiâ Clementiâ ac Iustitiâ, vt cuique rationes suas explicare liceat, etiam contra rescripta ab eius bonitate per importunitatem malè elicitâ; Adeo vt & permittat, immo iubeat Sancta Sedes, litteris Apostolicis, quæ vel solam falsam latinitatem contineant, fidem non adhiberi. *cap. ad audientiam de rescript. his verbis, Litteras tibi Apostolicas presentavit, quibus quoniam manifestum continent in constructione peccatum, fidem te nolumus adhibere.* Imo & velit non fieri, quod fuerit prauâ persuasione suggestum. *capit. Si quando, de rescript.* Inde & oritur quod potius rescriptum præsumi debeat falsum, quam quod voluerit tollere ius Tertij. *Hieronym. Gonzalez super Regul. 8. Cancel. gloss. 28. numero decimo.* Et hinc illæ crebræ Sanctæ Sedis contra subreptionem importunitatem, circumventionem, sanctiones *cap. Sedes Apostolica. cap. constitutus, de rescript. cum similibus & in iure civili, tot. tit. Si cont. ius vel vtilit. pub. de precib. imper. offerend. de diuers. rescript.* Vnde & à primarijs Ecclesiæ Principibus talia scripta traditaque leguntur. *Papa displicent timentes suarescripta contra ius, in tantum, quod non audeant reclamare, quia imo quilibet grauatus potest audiri verbi Cardinal. Tuschi in verbo rescriptum Conclus. 219. num. 32. alleg. Cardinal. Zabarel. consi. 142. numero quarto in fin. addit extende, Quia Ecclesia Romana vel Sedes Apostolica quandoque concedit non concedenda ex importunitate impetrantium, ideo veritas est dicenda contra tales concessiones alleg. Iterum Zabarel. consi. 143. maximè in fin. vbi numero 2. Quod licet impugnare ex defectu intentionis concedentis.*

RATIO OCTAVA.

ARTICVLVS NONVS.

A tempore confirmationis petitæ.

Certum est, quod confirmationem intra tempus *in cap. cupientes* præfixum prosequuti sunt: At contrarium persuasum fuisse patet ex Bulla.

RATIO NONA.

ARTICVLVS DECIMVS.

Ab electionis validitate.

Vbi Iudicio agere licuerit, quod & se Maximiniani obtenturos confidunt, sperant fore, vt electio iudicetur Canonica, ac certè probabunt se eandem

formam obseruasse, quam centum ab hinc & amplius annis continuâ serie in electionibus obseruârunt, quæ & sic peractæ à Summis Pontificibus Canonice declaratæ fuerunt; Immo & ostensuros se existimant. Quod si minutia aliquæ Doctorum opinantium, & præter ac supra ipsum textum extensiones inducentium remoueantur, habuisse electionem illa, quæ in *cap. Quia propter*, existuntur.

Quamuis & præterea, ut electiones quæ in Imperio celebrantur, Canonice censeantur, non requirantur ex vû & obseruantia immemoriali, solemnitates dicti Capituli, *quia propter*. & id probatur ex innumeris electionibus toto Imperio ab Ordinis Benedictini Monasteriis celebratis, in quibus, tametsi non fuerint obseruatæ omnes solemnitates eiusdem Capituli, (quas aliqui dumtaxat Doctores putant necessarias) nihilominus à Sancta Sede pro Canonicis habitæ, & tales declaratæ & confirmatæ semper fuerunt, ita ut vû & consuetudine toto Imperio notissimâ, explicatum sit, quænam electiones pro Canonicis haberi debeant.

Quod autem contra electionem à Sacro Rotæ Romanæ Auditorio decisum fuerit Id sanè non leuem auctoritatem habere fatemur, tantorumque virorum iudicia suspicimus, ac, ut par est, veneramus, sed tamen licere existimamus ius nostrum hoc non obstante, prosequi, sententiamque Iuris ordine ferendam à Iudicibus competentibus postulare, quamuis enim Rotæ magna sit auctoritas & præualere opinioni communi censeatur: *Cardinal. Tuschus verbo Romanæ Rotæ conc. 368 numero primo*. Tamen decisiones Rotæ non faciunt ius inter partes, & non sunt sequendæ, nisi dictum earum probetur, sed imo statum dicto etiam minimi Doctoris assignantis meliores rationes. Verba eiusdem Cardinalis Tuschi *eadem conclus. 368. numero quinto allegat. Gomin. cons. 34. maxime numero quinto, & Franch. in cap. duobus rescript. libro sexto, numero decimo. & quod non sit standum auctoritati Rotæ, sed Iuris rationi. Idem Tuschus ibid. numero 6.*

In causis autem, in quibus de partium Iure ac de Iustitia distribuenda agitur, præsertim in arduis, Sæ Sanctitatis intentio est, ut ordo Iuris, & præsertim illa, quæ sunt de substantia Iudiciorum, obseruentur. *cap. in causis de sentent. & re iudicata*: cuius sunt hæc verba: *In causis quæ Summi Pontificis Iudicio decidentur, & ordo iuris, & vigor æquitatis est subtiliter obseruandus.*

ILLATIO EX PRÆDICTIS.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

Ex præmissis sequitur Archiepiscopum Abbatia bona possessionesque inuadentem, iure cohibitum fuisse.

Authoritatem Summi Pontificis Libelli Scriptor magnis clamoribus ostentat, sed tantum ostentat: in re autem sua commoda spectat non illam, videre licet quantâ resolutione Abbatie in spiritualibus subiectionem Archiepiscopo adscribat, ut in hoc Sanctæ Sedis immediatam iurisdictionem à nullo vnquam (præter ipsum) in dubium reuocatam, tollat. Videndum itidem qualiter ipse de Commenda ac de electione electique Iure iudicare præsumpse-

rit, parum sollicitus si Apostolicæ Sedis Iurisdictionem vsurparet, eiusdemque auctoritatem negligeret. Et certè si contra electionem ad Episcopatum Spirensem, vel etiam ad Archiepiscopatum Treuirensis, similia ijs, quæ hoc in casu, contigissent, dubio procul longè alia, quam nunc censuisset, dixisset; Atque in hac Hypothesi sit vel ipse Iudex.

Authoritatem Sanctæ Sedis semper, vt humillimi filij reueriti sunt, ac perpetuò reuerebuntur Maximiniani.

Sciunt autem, hoc, quòd lege permittente fit, illud Sanctâ Sede permittente, volente, lubente fieri.

Atque adeo defensionis nostræ fundamentum in Sanctæ Sedis voluntate ac auctoritate iactum, constitutum ac infixum esse. *Se in hostium sinu reponere*, ait Canon, *hoc quidem iure timetur, hoc demore vitatur, hoc summa fugit ratio, hoc abhorret natura. Clement. Pastoralis desentent. & reuadit.*

Quod etiam pro conseruatione bonorum ac rerum verè dixeris, nec minus naturalis est pro istis defensio.

Nec itidem minus inuasor aut spoliator est, qui titulum nullum, ac talem, qualem supra descripsimus, obtendit. At vero competit spoliū contra illum, qui rescripto Principis subreptitio vel nullo innititur. *Card. Tuschus verb spoliatus, concl. 399. n. 8.*

Quando quis à Principe obtinuit rescriptum, quo ingredi possit possessionem, si is ingrediatur non vocato possessore, dicitur eum spoliare, *l. Meminerit C. vnde vi. l. vlt. C. si per vim, vel alio modo & c. Iacob. Menoch de recuper. pos. remed. 8. num. 69.*

Item, spoliatus vigore gratiæ motus propriij cum facultate apprehendendi possessionem propriâ auctoritate, amoto quolibet detentore, debet restitui, quia motus proprius non habet priuilegium spoliandi, & facultas data intelligitur, iuris ordine seruato. *Cardin. Tuschus, verbo spoliatus, conc. 394. n. 11.*

Item, si Iudex priuat aliquem sua possessione contra ius, & ordine non seruato, est spoliatio. *Alberic. ad d. l. vltim. C. si per vim & c. cap. Conquerente de restit. spoliat.*

Notum est, etiam in merè beneficialibus, competere cuius ius opponendi, possessionemque suam tuendi, etiam contra titulum ostentantem; vnde passim videre contingit, pro eodem beneficio, diuersos titulos, binos, ternos, quaternos, contra se inuicem contendentes, ac primum in possessorio, deinde in petitorio litigantes; quæ vtique iudicia vtraque supersunt ordine peragenda, post titulum impetratum, atque etiam post attentatam possessionem ex clausula inuestituræ in prouisionibus communiter inserta.

Cuius quidem possessorij causam ad sæcularem potestatem pertinere, quasi, quod possessio sit quid temporale, contendunt Doctores; & ita apud diuersas nationes vsus obtinuit. *Guido Papa, quæst. 1. Præses Faber in suo Codice lib. 3. titulo 2. def. 12. & inter Germanos Gayllus practicar. obser. lib. 1. obser. 37. n. 5.*

In quibus quidem possessorijs iudicis examinatur titulus ad iustificandam possessionem, quæ nulla est absque illo, eique possessio adiudicatur, qui potiora in petitorio iura ostenderit. tractantur autem illa, quæ ad proprietatem spectant, non vt de proprietate decernatur, sed vt de possessione bene iudicetur. *Idem Fab. cad. def. 12. & ipse vsus testatur.*

Sed & Doctores illi, qui de iure negant possessionis causam ad sæculares pertinere, tamen fatentur illos partes suas posse interponere ad hoc, ne vis fiat, aut iniuria, & ne quis indebitè sua possessione spoliatur.

Imò, quod magis est, vbi neque de possessorio, neque de vlla temporalitate agitur, sed de exercitio meræ Ecclesiasticæ Iurisdictionis, posse ab autoritate sæculari vim ac iniuriam repelli.

Inter quos nobis erit vnus instar omnium *Didacus Couarru.* Doctor Religiosissimus, *practicar. quæst. cap. 35.* cuius verba hic transcribere non abs re esse existimauius.

Sextò, inquit, Non negamus, posse iustissimè Iudices Regios, qui pratorijs assident, & inibi iura partium Regio & supremo nomine tutantur, extraordinariè tractare causam possessoriã, in qua de possessione beneficij disputetur ad effectum, vt quæta Respublica sit, ne fiat alicui iniuria & violentia, aut indebitè possessione, quam obtinet, expolietur.

Hoc enim etiam in Neapolitano Regno sæpè fieri testatur *Matth. de Affl. decis. 24.* scribens, in hoc iudicio potiùs agi de defensione extraiudiciali, quàm de iudiciali ordinariã cognitione; quia tantùm id agitur, quòd quis restituatur ad possessionem, quã iniurè & per violentiam fuerat expoliatus à Iudice Ecclesiastico.

Cæterùm in hac Regiã & Castellana Republicã illud obseruatissimum est, & diu obtinuit à tempore, quod memoriam hominum excedit, posse ab his, qui à Iudicibus Ecclesiasticis vi & censuris opprimuntur, Regios auditores & Consiliarios, qui apud Regia suprema Prætoria iura litigantibus reddunt, omnino adiri, vt vim auferant, & compellant Iudices Ecclesiasticos ab ea inferenda cessare. Extat inter huius Regni leges lex Regia *5. tit. 1. lib. 2. ordine (hodie 1. tit. 6. lib. 1. Recop.)*

Hic autem Forensis vsus & praxis, quã Regij Consiliarij vtuntur, multis rationibus iustificari potest, & primò propter maximam eius vtilitatem, quæ Reipublicæ accedit: cùm alioqui, nisi remedium hoc & auxilium aduersus Iudices Ecclesiasticos adhiberetur, grauissimè opprimerentur innocentes à Iudicibus Ecclesiasticis, qui procul à Romana Curia passim Iurisdictione & potestate Ecclesiastica abuterentur.

Secundò probatur autoritate text. in *capit. Filijs vel nepotibus 16. quæst. septima,* vbi constat, Episcopis & Archiepiscopis negligentibus punitionem eorum Rectorum, qui bonis Ecclesiasticis abutuntur, posse Regem adiri, vt illi malo medeatur. Et licet *Panormit. in capit. Qualiter & quand. de iudic.* aliter illius capituli verba interpretari velit, & dicat, illum textum corrigi per iura noua, profectò nulla extat iuris noui correctio ad hunc effectum, vt Princeps sæcularis oppressos violentiã Iudicum Ecclesiasticorum inferiorum liberet interim, donec à Summo Pontifice præstetur iure debitum auxilium.

Tertiò ad idem conducit plurimùm *text. in C. Principes 23. quæst. 5.* quo in loco Testimonium Isidori à Gratiano adducitur in hoc, vt sciamus, Principes sæculi intra Ecclesiam, eam potestatem habere, vt superborum ceruices comprimant, & quod fieri non potest per Iudices Ecclesiasticos, ab ipsis iuxta disciplinam Reipublicæ vtilem, executioni mandetur: Ergo vbi præsto non est, qui liberet oppressos à Iudicibus Ecclesiasticis, potestate quidem Ecclesiæ, ipse Princeps sæcularis poterit auxilium miseris ministrare.

Quartò, his accedit *Hieronymus in Commentarijs ad capit. 22. Hierem. cap. Regum 23. quæst. 5.* Regum, inquit, Officium est proprium facere iudicium atq;

iustitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppressos. Idem constat auctoritate *Ioan. Papæ octavi quæ ab ipso Gratiano traditur in cap. administratores 23. quæst. 5.*

Quinto, Iustitia huius praxis ex eo deduci videretur, quod cum omnes fere Christiani orbis Principes sæculares hac utantur, & tot annis fuerint vsi potestate, consilio prudentissimorum virorum, qui iustitiæ zelo & Christiana pietate id ipsis persuaserint, Credendum omnino est hoc in maximam fieri Reipublicæ utilitatem, commodum, & ad rectum vtriusque spiritualis & temporalis Iurisdictionis usum & compendium. Quod si quis contendat à Principibus sæcularibus hanc tollere potestatem, statim, non quidem serò comperiet, experimento manifestissimo, quantum calamitatis Reipublicæ inuenerit. Hic verò forensis vsus non tantum in his Castellanis Regis Hispaniarum ditionibus & principatibus, sed & apud Gallos, aliosque Christianæ Reipublicæ sæculares Principes est equidem receptissimus: vt commemorat omnium, quos ego legerim, diligentissimè *Martinus Azpilcueta in C. cum contingat. De rescipit. remedio primo, pagina 146. Carolus de Grassalia l. 2. Regalium Franciæ iure Steph. Aufrer. in Clement. 1. de offic. ordin. regu. 2. fallentia 30. Ista Didacus, Qui paulò post. eod. cap. 35. n. 5. hæc subuertit.*

Secundo adnotandum est ius hoc, quod Castellanus hic Principatus & Regia obtinet Reipublica, ne dentur Ecclesiastica beneficia exteris, non tantum procedere à concessione Romanorum Pontificum, præscriptione & vsu immemorabili, vt constat in *l. 18. & seqq. lib. 1. ordin. rit. 3. (hodie l. 14. tit. 3. libr. 1. Recop.)* & multis alijs pragmaticis à Carolo Quinto Hispaniarum Rege primo editis: sed & à maximâ & euidenti regiminis spiritualis & Ecclesiastici utilitate, ita quidem, vt ex contrario vsu & praxi plures contingant Ecclesiarum ministerio calamitates, quarum si certam habuerit Summus Christi Vicarius cognitionem, dubio procul pro illius supremæ dignitatis, quam Summus totius Ecclesiæ Pastor & Rector obtinet, integritate, iustitia, & diuini cultus zelo, tantis & tot malis medelam adhibebit. Hæc ille.

Atque hæc ita se habent in genere & in Thesi communi, sed & hic concurunt specialia multa, summâ consideratione dignissima.

Agitur enim de membro statuque Imperij, de Cœnobio Imperiali ad Imperatores speciali iure pertinente, qui bona, iura, regalia, temporalia tradiderunt, qui circa Cœnobij temporalem statum, Iurisdictionem habent certam non controuersam, eamque semper exercuerunt, & cum de quæstionibus eiusdem statum concernentibus tractari contigit de illis cognouerunt, deciderunt, disposuerunt. Et sanè quod Abbatia hæc, prout est membrum ac status Imperij, & ea ratione quoad temporalia respectum habet ad Imperatorem Imperiumque, tanquam idem Imperium vt pars integrans, ex suis regalibus, feudis, fundis, rebusque omnibus temporalibus, componens, quod inquam, prout talis, & isto respectu, subit Imperatori Imperioque (vt & cæteri omnes Imperiales status) probatur non solum ex vsu communi Imperij, sed & per specialem istam status causam coram Cæsareâ Maiestate nuper agitatam ac decisam ipso Archiepiscopo agente, ac denique per documenta ista omnia in tertia huius operis parte edita, quæ de Abbatia huius temporalibus, Statuque, Imperatores semper cognouisse, statuisse, ac disposuisse testantur.

Hæc sanè non necessariò disseremus, & suffecerit ipsius Imperatorij facti

autho-

authoritas, & ad illam nos retulisse: Rationes suas habet Imperatoria Maiestas & semper habitura est, Consilia illi sunt prudentissima, sapientissima, æquissima, Viri fidi rerum periti, qui non nisi salutaria iustaque suggerant, ac ipse inuictissimus Imperator supra omnia Consilia prudens Iudex, qui & hæcenus ad Sanctissimum Dominum nostrum Pontificem maximum causas rationesque suas referri mandauit, quas & gratas habuisse Suam Sanctitatem, habituramque semper, pro sua æquitate confidimus.

Interim poterant Maximiniani autoritate propriâ Archiepiscopi conatibus resistere, rerum suarum possessionem continuare, vim vi repellere, si viribus inferiores potentiori impares non fuissent; Verùm ad Imperatorem recurrerunt, ad Iustitiæ Caput, Fontem, Statuum Imperialium Sacrique Imperij conseruatores, defensores. Et quis culper? videre libeat quam amantissimas litteras Sua Maiestas ad Archiepiscopum scribere dignata fuerit; edidit nonnullas & ipse Libelli Author litt. BB. notatas, quas & hic non inutiliter inferi posse duximus. tenor talis est.

Littera Bb.

LITTERÆ FERDINANDI II.
 Imp. ad Archiepiscopum & Principem Electorem Treuirensis,
 in causa Sancti Maximini, de Dato Viennæ
 4. Iulij 1625. è Germanico in Latinum
 translata.

FERDINANDVS II. &c. Reuerende dilectæ Cognate & Princeps Elector, Dilectionis Tuæ literas responsorias de dato Confluentia 13 præterlapsi Mensis Aprilis, Monasterium Sancti Maximini concernentes, & in quibus deinde, Tuæ Dilectionis à Serenissima Principe, Domina Isabella Clara Eugenia, Infante Hispaniarum, Archiducissa Austria, Ducissa Brabantia, & Comitissa Flandria, vidua, dilecta Nostri Amica & Sorore, Eiusdemque Regimine Luxemburgensi, atque Conuentu dicti Monasterij, specialiter se grauari sentiat, cum vltiori petitione, rectè accepimus. Quæ præcipue in hoc consistunt, quod sua Sanctitas, absque vlllo Tuæ Dilectionis instinctu, aut causa data, præuia cassatione Electionis moderni Abbatis, Commendam dicti Monasterij, Dilectioni Tuæ, contulerit, cui eò minus sese opponere voluit, ne Tertio cuidam, & extraneo (quod certò euenisset, nisi eam Dilectio Tua acceptasset) in Monasterij præiudicium, obtingeret. Cumque iam realem possessionem, sine vlla contradictione acceperit, sperare Dilectionem Tuam, Nobis id offense loco non fore, sed Nos potius ad Tuam Dilectionem in ea tuendam, & oppositiones in contrarium remouendas, prout etiam ad Iustitiam, in Eiusdem & sepememorati Monasterij, coram nostro Casareo Aulico Consilio, indecisè pendentibus litibus, quantocius administrandam, addictos mansuros, prout Dilectio Tua desuper Nos obedienter implorauit, rogauitque. Nos quidem illa, quæ à Dilectione Tua, ratione præmissæ Cassationis Electi Abbatis, & sibi oblata Commendæ, & qualiter ea peracta sint, aliaque à Dilectione Tua, in medium adducta, aliò remittimus. Nec tamen adhuc, præuia causa omniumque eius circumstantiarum diligenti ponderatione, perspicere possimus, quo iure, post receptam nostram Casaream inhibitionem & Mandatum,

allegatam possessionem apprehendere, aliaque attentare, Dilectioni Tuæ licuerit, presertim cum Dilectio Tuæ, cum Monasterio adhuc sit in litis pendente, & Eadem, super antehac allegatis causis, Ipsamet pro sua prudentia facile iudicare possit; Nos eiusmodi attentata, quando temporalia & secularia, quæ à Nobis & Sacro Imperio dependent, unde etiam Sacri Imperij Contributiones & impositiones solui debent, in Commendas attrahi volunt, permittere aut excusare nullatenus posse, nec omnino videremus, quomodo cultus diuinus, in pristino statu, & cum tanto numero Religiosorum conseruari, primi Fundatoris & aliorum Nostrorum in Imperio Antecessorum intentio & larga fundatio saluari, atque Nobis & Imperio, sua debita tradi possint, si Dilectio Tuæ, duabus partibus reddituum Monasterij, absque villo onere, iuxta contentum Bullæ Papalis, gaudere; tertia verò pars, cum omnibus oneribus, Monasterio manere deberet, vt taceamus quam magna exinde scandala, etiam Dilectioni Tuæ & omnibus Ecclesiasticis Statibus, si talia introducerentur, per quam onerosa præiudicia, & totalis euersio, Sacri Imperij antiquissimarum Constitutionum, quæ potissimum in Statu Ecclesiastico consistunt, inde exoriri, & apud vtriusque Religionis Status, in Imperio, insolita sequela nasci possent. Prout igitur Ipsamet Dilectio Tuæ hoc rationabiliter perpenderit, nec etiam nomen habere vult, quod ad Eiusmodi præiudiciales Ordinationes, apud Curiam Romanam, minimam ansam dederit, Hinc denuò Eandem amice & clementer monemus, vt iam dictas cause circumstantias mature cordi sumat, seque priori nostro Rescripto, & ipsimet æquitati, conformet; omnes præsumptas violentias, ceteraque, quæ Eadem hæctenus, pro stabilienda sua intentione, ulterius tentauit, penitus & quamprimum dimittat, sepe mentionatos, Abbatem & Conuentum, illorumque Officiales & subditos, neque personaliter, neque realiter, vllatenus grauet aut molestet, sed ordinariæ Iuris decisioni, ad quam Nos Dilectioni Tuæ, omnem vtilem promotionem exhibere parati sumus, acquiescat.

Qua conuenienti oblatione præuita, Nos etiam penitus confidimus, à sua Sanctitate, (quæ Ipsamet iam tandem fatebitur, Suos in hac causa excessisse) tanto facilius impetrandum, vt præsumptam hanc Commendam euancescere sinat, & suum præiudicium, Sacri Imperij paci & incolumitati, condonet. Interea omne id, quod Dilectioni Tuæ, per possessionem præsumptam, alioque modo, contra Monasterium attentauit, ne vllatenus in præiudicium irahatur, penitus per presentes cassamus, & pro irrito habemus & declaramus. Quæ, pro rei exigentia, celare Dilectionem Tuam nolimus; remanemus præterea Dilectioni Tuæ, ad amicitiam, gratiam Casarem & omne bonum, perquam procliuus &c. Datum Viennæ 4. Iulij 1625. &c.

Istis alijsque mandatis non paruit Archiepiscopus & se non pariturum aperte testatus est, istiusque contumaciæ monumentum etiam in Libello extat sub lit. EE. At contumaciam vinci par fuit, Casarem supra esse, iussa exequi.

In quo sanè miranda est ac totis sæculis commendanda Iustitiæ magnanimitatisque virtus, quæ isto tempore, isto inquam tempore, absque acceptione personarum, contra Electorem, pro infirmo contra potentem & tantis respectibus obseruandum sanctissimè æquam, rectam, inflexibilem sese exhibuit, vt inter tuas admirabiles, cœlestes verè, & homine maiores in omni genere virtutes, hic tibi meritò acclamemus, vel hoc vnico virtutis præcellentis actu O MAGNE AC DIVE FERDINANDE! nec tuæ augustæ memoriæ vnquam deerunt votis cordium intimarumque medullarum affectu, humiles tui Clientuli ac subditi, tua virtute à casu retenti.

At & tibi, fortissime Protector noster Rex maxime, æquas debemus & non intermorituras habebimus grates, & eisdem eiusdem virtutis laudes tibi reddent

ſæcula, ac itidem tibi piſſima Belgij Moderatrix huius æui, & nunc Cœlorum, Ornamentum, HEROÏNA.

Rex potentiffimus, Iuſtitix in ſuis ditionibus, quæ terrarum Orbem circum-eunt, tam ſanctus cultor ac iuſſor, Ipſa Iſabella Clara Eugenia pietatis omnium-que heroicarum virtutum viuum exemplar, protectionis iure auxiliatricem dexteram, Cæſare cupiente, rebus afflētis oppreſſiſque porrexerunt, Monasterium olim tam illuſtre, nunc labans ſuſtinuerunt, à ſquallore liberarunt, virtutem ſanè propriam in primis hoc in factò ſecuti ſunt, ſed & maiorum laudatiſſima exempla, qui à ſæculis Abbatem Monasteriumque noſtrum tutati ſunt, & in ſimilibus occaſionibus, illi ſtatim per vniones & Commendas immutari, aut in Archiepiſcopos transferri non ſunt paſſi.

Ita conſtat Carolum V. glorioſiſſimum Imperatorem, eiufque Fratrem Ferdinandum I. obſtitiffe fortiſſimè, ne ſub ſuo regimine Monasterium Archiepiſcopatu vniretur, vti ex litteris ad Clementem VII. Pontificem Max. alioſque datis ſub N. 66. demonſtratur. Quæ etiam teſtantur à Cæſare mandatum Luxemburgenſi Gubernatori, ne obtenta etiam vnione prætenſa, pateretur illam executioni mandari, & Abbatix poſſeſſionem ab Archiepiſcopo adiri.

Eodem pertinent Mariæ Hungariæ Reginae viduæ, Belgij Gubernatricis nomine Caroli V. Cæſaris, Epiſtolæ ſub Num. 70.

Similiter Philippum II. Caroli V. Filium Regem illum omni ex parte Maximum & Iuſtiſſimum, impediffiſſe Ioannem à Petra Archiepiſcopum, ne Commendam à Ioanne prædeceſſore, artificio quodam mirabili, quod ſuperiore cåpiti Sæc. IX. expoſui, ex præſtatam continuaret.

Aui Ataque veſtigijs & illuſtribus exemplis hoc in negotio æquè ac alijs eorum virtutibus, intitit Philippus IV. hodiernus Hispaniarum Monarcha atque eius loco Belgij ſuprema Moderatrix Iſabella Hispaniæ Infanta.

Quæ quidem lenibus primò & Clementiæ ſuæ conſentaneis medijs, nimirum literis, adhortationibus legationibusque, moderni Archiepiſcopi mentem conata expugnare, tandem inuita, ad aperta remedia recurrere, ipſo lure ac ratione vrgente, coacta fuit.

Atque adeo maximis gloriæ ſuæ & Regiæ Catholiciæ Maiestatis titulis **SERVATI CLIENTIS** ſui & è tantis periculis erepti laudem apud poſteros acquiſiuit ſempiternam.

Postquam enim vidit Archiepiſcopus ſemel ceptum Monasterij defendendi decretum, Commendæ ſuæ, anno MDCXXV. die X. Nouembris renuntiauit, idque bona fide & meliori modo formaque, qua id fieri potuit, & ſeiſum in *verbo Principis obligando*.

Quod quidem Renuntiationis instrumentum ipſius Archiepiſcopi manu ſubſcriptum & Sigillo eius munitum, auctòr Libelli ſub litt. MM. repræſentat, ſed inſertis paſſim diuerſo charactere glosſematis & additamentis, quæ pro ſui Principis fidei laude melius omiſſet.

Porto renuntiationi ita factæ Rex Catholicus acquieuit. Monasterioque eiufque Abbati Electo, quies eſt aliquamdiu conceſſa.

SECTIO SECVNDA.

Commenda semel deposita, quâ ratione suscitata fuerit; Ac finaliter de sententiâ Archiepiscopali anni 1633. diei 19. Decembris tractatio.

PAucorum annorum fuit tranquillitas, quam, factâ præfatâ Renuntiatione, fueramus assecuti. Nam cum grauis controuersia inter Status siue ordines Prouinciales Treuirenses & D. Archiepiscopum Electorem exorta esset, iisque difficultatibus etiam Ciuitas Treuirensis implicaretur: Factum est vt Ciuitas præfata à Regis Christianissimi exercitu obsideretur, & in eius potestatem Anno MDCXXXII. mense Augusto veniret: Tum enim uerò D. Archiepiscopus Elector omnia pro arbitrio cœpit gerere. Quid contra Ciues & ordines Treuirenses actum sit, ad nos non pertinet, neque enim eorum controuersia quicquam habet cum iure nostro commune. Alijs talia relinquimus enarranda.

Causam certè Monasterij nostri, eiusque iura omnia, armis deuicta decisaque creditur, & sibi de ijs fas, prout animus suadebat, statuere. Vnde ingentia damna prædijs & rebus vniuersis Monasterij illata sunt, quorum enumeratio peculiare volumèn exigit.

Ciuitatem igitur Treuirensis ingressus mox contra pacta antea cum Rege Catholico inita, & renuntiationem tam solemniter, & in verbo Principis, factam, cœpit palam se Abbatij Sancti Maximini, non solum Commendatarium, sed & Dominum profiteri, idque varijs mandatis, partim scripto, partim typo vulgatis, publicare.

Tum deinde Religiosos, qui, Abbate Electo Luxemburgum digresso, Monasterium incolebant, in eoque fauente & probante Regis Christianissimi milite, diuino seruitio intendebant, vehementissimè est aggressus.

Primum eos, edito & publicato Monitorio, V. Nouèb. Anno MDCXXXIII. quod in Libello sub lit. PP. exhibetur, tanquam sibi in Ecclesiasticâ æquè ac seculari Iurisdictione omnino subditos, & grauissimorum criminum, perduellionis, Latrociniorum, Cædium, Proditionum, & Depopulationum Reos coram deputatis (vt aiebat) à se Commissarijs, ad dictam diem comparere iussit, ad reddendas aut liquidandas rationes damnatorum, quæ Archidicœcesis eorum occasione illata fuisse prætendebat.

Contra non comparentes, & iure quidem optimo: *Desperet, enim, qui citationem huiusmodi saperet arctâsse citatum.* text. in Clement. *Pastoralis de sent. & re iudic.* Nouum quoddam Consistorium effinxit, quod vocat Parlamentum nullis viris compositum, nec vtique vlli in Commissione Libello inscripta leguntur, sed ex prælongis nominibus, iisque non paucis, constructum, *Deputatorum Ecclesiasticorum & secularium Nobilitum & Iurisperitorum Consiliariorum & Commissariorum Consistorij, item & Parlamenti Ecclesiastici ac secularis.*

Ex qua vocabulorum congerie Libellus pretioso fœtu grauidus, operosam illam sententiam anni MDCXXXIII. die decimanona Decembris tandem enixus est.

Fructus autem hi sunt, illi nihil non notorium, euident, clarum, dilucidum

etiam

etiam ipsæ tenebræ & omnia præter lucem, immediatam in spiritualibus Iurisdictionem Sanctæ Sedi eripit, vt Domino suo tradat, de Commendâ decidit non contra illum; absit; de Abbatis electi, electionisque iure, pro eodem (nec dubita) statuit, se iudicem supra Imperatorem collocat, supra item ac contra illius iudicatum, immediatam in temporalibus Iurisdictionem Imperatori aufert, isti donat, collectas paulo ante, Cæsareo Iudicio abiudicatas potentior ipse ac altior, addicit, magnum Hispaniarum Regem suo tribunali sistit, eius protectionem in perpetuum explodit, cassat, abolet. Tandem seipsum valido ictu tangit, Monasterium ad quinquaginta prope Coronatorum millia, tam pro pensionibus, quam pro collectis pendenda, præter Commendæ fructus ac damnorum milliones, condemnat, duos Abbatæ bonorum trientes per Commendam assignatos, Archiepiscopatu annectit, Priorem denique ac Conuentum scandalozorum factorum, periuriorum, proditoris Ecclesiæ, & Patriæ Treuirensis, læsarum Summæ Pontificiæ Maiestatis, & Electoralis dignitatis, vrsurpatæ Iurisdictionis, seditionis, excitati belli intestini, fractæ pacis publicæ, falsorum damnatorum dogmatum, aliorumque criminum enormissimorum, flagrantium, ac in facto permanentium, reos notorieq; conuictos esse pronuntiat, illaque conglomerat in textu videnda, quæ nescio, an risum vel fletum potius mouere debeant, si non vtrumque; nec defuerit siue Democrito, siue Heraclito, in quo se exercent.

Sed operæ pretium fuerit, vt illa quanta, quanta est, contemplationi offeratur oculisque subiiciatur. Et ecce illam:

S E N T E N T I A.

IN causa, per Imperium Romanum & Electoratum Treuirensis notoria, à Priore & Conuentu S. Maximini, contra Eminentissimum & Reuerendissimum Eorum Archiepiscopum, Principem Electorem, Dominum Ordinarium & Commendatorem, necnon, in territoria & Subditos Treuirenses, excitati belli, exercitarum rebellionis, seditionis, Pacis Publicæ fractionis, causati damni, extantium liquidorum, Imperialium, Vnionis, Prouincialium, Cameralium, aliarumque Contributionum, visis & maturè consideratis Originalibus literis, Quæstoriæ Generalis rationum libris, exhibitis Documentis, Confessionibus, claris Pontificijs, Rotæ Romanæ, Cæsareis & Imperij Sententijs, ac rebus iudicatis, maximè verò, ob notorietatem & euidenciam, enormissimorum factorum (ob quæ, ab initio, absque citatione, Monitorio, & Sententia, ab executione, inchoari potuisset) Electoris Treuirensis, ad hanc causam, vigore Archiepiscopatus clarorum Priuilegiorum, in eiusmodi casibus, deputati, Ecclesiastici & Seculares, Nobiles ac Iurisperiti, Consiliarij & Commissarij, Consistorium item & Parlamentum Ecclesiasticum ac Sæculare, Ius & Iustitiam administrantes, remisissis, quantum ad hunc actum opus, eorundem Iuramentis, dicunt, decernunt, & pronunciant: Agritium Reckingen, pro Abbate Monasterij S. Maximini hætenus se falsò gessisse, Eundem Priorem & Conuentum, circa implorationem Protectionis Luxemburgicæ, excitatum bellum publicum, & causatas cedes, rapinas & incendia, aliasque, in Archiepiscopatu, ob Commendam, necnon Imperiales, Prouinciales, Camerales, aliasque Contributiones, exercitas hostilitates, contra claram ordinationem Iurium Gentium, Imperij, fundamentales Constitutiones, pacem publicam generaliter sancitam, & contra Eorundem ab Antecessoribus Abbatibus, Archiepiscopis præstita Iuramenta, similiter & contra Pontificias, Rotæ Romanæ, Cæsareas Sententias, & res iudicatas, ac contra Ipsammet Sanctitatem, perperam & nimis iniuste,

fecit.

fecisse; quo ipso publicam rebellionem, seditionem, & pacis publicae rupturam exercuisse; ac proinde, in puncto Commendae, Altementionatum Dominum Archiepiscopum, (cum non nisi, nudum Procuratorium ad resignandum ab ipso armis intulit, extorqueri potuerit, ideoque non productum, non acceptatum, minus in effectum ductum sit) in iure, titulo & possessione Commendae, permansisse; Eminentiam suam, pro vero & legitimo Commendatore, à Monachis agnosci & haberi debere; Eidem competere ius percipiendi fructus & redditus Commendae in Bulla Pontificia deputatos, & à tempore adeptae possessionis cessos, nec non ius reposcendi pensiones, Romae, intuitu praetactae Commendae, solutas, ibidemque ac publicis Legationibus in Aulis Caesarum ac Bruxellensibus ac aliibi, factas expensas, uti & propter damna, per arresta, inuasiones, deuastationes, extorsiones, aliasque hostilitates, causata & illata, portione illam; modernò Archiepiscopo, à Pontifice, in Bullis, designatam, Archiepiscopatu Treuirensi, tam diu affectam manere debere, donec de praedictis expensis, pensionibus & debitis, per Quaestoriam Electoralem ad viginti octo mille octingentos, & quatuordecim Coronatos, liquidatis & taxatis, nec non de fructibus Commendae, illarumque damnis, suo tempore, per praedictos Commissarios, amicabiliter, aut iudicialiter componendis, plenarie satisfactum sit.

In puncto verò omnimodae Iurisdictionis, Ecclesiasticae & temporalis, dicunt, decernunt, & pronunciant praedicti Consiliarij & Commissarij, Consistorum item ac Parlamentum Ecclesiasticum ac Saculare, Altememorato D. Archiepiscopo & Electori praetactam omnimodam Iurisdictionem, Ecclesiasticam & Sacularem, in & super Monasterium S. Maximini, Eiusque Subditos, Caesaris & Pontificis Concessionibus acquisitam, Sententijs, rebusque iudicatis Summorum Imperij Iudiciorum (praetensis priuilegijs ab Abbatibus, seu Priore & Conuentu, sub- & obreptitijs, extracticatis & allegatis, annullatis, ac pro talibus iudicatis) confirmatam, contra quoscumque Turbatores, medijs quibuscumque, tam Iuris, quam facti, tueri & conseruare; Monachosque, ad solutionem Contributionum, ex iure Superioritatis debitarum, ab Anno 1609, cessarum, & iuxta distributionem praetactae Quaestoriae, Summam viginti mille octingentorum & triginta nouem Coronatorum, excedentium, nec non ad solutionem futurarum Contributionum via executiua, adigere, Eminentia sua licuisse, & etiamnum licere.

Protectionem Luxemburgicam, ab Abbatibus seu Priore & Conuentu, perperam & seditiosè, imploratam, vel implorandam, iam dudum, Sententijs Imperatorum, Summorum Pontificum Confirmationibus, Aurea Bulla, fundamentalibus Imperij Legibus, cassatam, abolitam ac explosam esse, & in perpetuum manere debere. Priorem denique & Conuentum, à notorijs, & in actis assertis, scandalosis factis periuriorum, proditijs Ecclesiae & Patriae Treuirensis; Caesarum Summa Pontificia Maiestatis, & Electoralis Dignitatis, usurpatae Iurisdictionis, seditionis, excitati belli intestini, fractae pacis publicae, falsorum, damnatorum Dogmatum, alijsque criminibus enormissimis, flagrantibus, ac in facto permanentibus, in totum abstinere, ac respectu reuocare, atque ad iuratae debitae subiectionem, obedientiam, & reuerentiam, modernò Domini Archiepiscopi ac Principis Electoris, Ordinarij ac Commendatoris sui, uti & Successorum, redire; aut hoc nò faciant, contra eosdem, ratione allegatorum criminum notiorum, iuxta communia Canonica & Caesarea Iura, Constitutiones Pontificias & Imperiales, nec non specialia, à Summis Pontificibus & Imperatoribus, Archiepiscopis & Electoribus Treuirensibus, concessa priuilegia, via iuris & executiua, ulterius procedi posse, ac debere. Lata in Consilio, sub Eminentia sua Cancellariae Secretario. Treuiris in Palatio Sancti Petri die 19. mensis Decembris. Anno 1633.

Ille ipse horum fabricator illius vanitatem agnouit, dum Coronidem in fine Libelli, eamque spectabilioribus litteris adnexuit, vt lectorem admoneat, *Quod eminentissimus D. Archiepiscopus magis se fundet super antiquissimâ possessione priscisque documentis, quam in ista sententia;* ista, inquam, sententia, ob quam omnis ista vociferatio, totus ille liber fuit, qui nec fuisset, si illa non fuisset, sed & addit, *in Electorali Consilio latam.*

Honestâ est excusatio & grandioris characteris speciali notâ digna, opus sanè dignum coronari tali fine, bona via est ad veniam, agnitio culpæ, sed meliùs non euulgasses, quod simul ac edis, improbas, & in umbras hic euolat ista imaginarij Parlamenti caterua, ex delegatis ac Commissarijs, ab omni statu ordineque tibi paullo ante selectis, compacta, & ad Electorale Consilium redigitur, quod utique ordinarium est, ex Consiliarijs, Officij iure stabile, constans, nec non exquisitum est indicasse possessionem vnde notorietates istæ, luces, solis radij hauriantur, & præcipuè post Cæsaream de illâ sententiam. At verò, mî Scriptor, in nihilo Iudicem oles, Et adde tuæ coronidi: *Ille ego sum, qui feci:* nec veritatem istam maioribus litteris scribi opus est vt legatur, sat te ore refert iste partus, & proles est non inficienda parenti.

Postea vero conatus est D. Archiepiscopus Religiosos ad plenam subiectionem inducere per suos primum Officiales & Vicarios, tum deinde per seipsum: Verùm cum Religiosi fortiter pro Monasterii iure starent, neque latum vnguem ab eo vllis precibus, minis aut persuasionibus abduci se sinerent; D. Archiepiscopus F. Dominicum Wilsendorff Priorem, (quæ cæteris Religiosis animos addere arbitrabatur) per Satellites suos è Monasterio educi iussit; Hi virum atate & meritis grauem, manu iniecta. Domo religiosa extraxerunt, raptârunt, cruentârunt; tandem in sublime elatum in rhedam ad hoc præparatam coniecerunt & auexerunt, multa protestantem, atque ad Deum hominesque ob vim & iniuriam prouocantem.

Substituitur mox loco Prioris ita violenter abducti, alius ex Monasterio Lacensi, homo ad nutum Archiepiscopi factus, & ad eius iussu exequenda promptissimus; eidem aliquot eiusdem notæ ex diuersis Monasteriis euocati Religiosi subduntur; Maximiniani fugati, inde se ad Abbatem secum Luxemburgum recipiunt: Monasterii bona occupantur, arripiuntur, disperguntur.

Agebantur hæc, & videbatur causa Monasterii prorsus prostrata atque euersa, cum anno MDCXXXV. die XXVI. Martii Regis Catholici exercitus sub Christophoro, Comite Emdano, Gubernatore Luxemburgensi, Ciuitate Treuirensi, inopinato æquè ac admirabili Stratagemate recuperata, & ipso D. Archiepiscopo in Flandriam abducto, Abbatem Religiososque Monasterio suo restituit.

Ita re ipsa refutatæ sunt insolentes Scriptoris anonymi insolentiæ, quibus passim ob expugnatam Arcem Freidenburgensem, quæ erat in ditione S. Maximini gloriatur de protectione Luxemburgensi & causa S. Maximini debellata & extincta.

Certè vigil diuinæ prouidentia oculis iustissimo Ferdinandi II. Pii Felicis Augusti Cæsaris Iudicato, & iis, quæ Regis Catholici Ducis Luxemburgensis autoritate hætenus gesta fuerunt, visus est hac ratione annuisse; & non modò Cæsar ac Rex Catholicus, sed diuina quoque Maiestas pro Sancto Maximino stare, vti in similibus causis olim à multis sæculis stetit illam Historici & nostri docent Annales, è quibus libet aliquot mirabiles euentus referre.

SECTIO TERTIA.

DEO etiam olim curæ fuisse Monasterij Iura.

MEgingandus Vir illustris è Regio sanguine oriundus, Arnulphi Imperatoris ex Sorore nepos sub Annum Domini DCCCLXXXVIII. Abbatiam Sancti Maximini ab auunculo Imperatore obtinuit. Ea erat sæculi istius infelicitas, vt Reges, Abbatis Proceribus suis militaribus cogentur loco stipendij donare, vt passim in alijs Abbatijs factum esse constat.

Sed æuo illo infelicior fuit Megingandus, nam cùm malè impetrato sacro illo munere vehementer sibi applauderet, eadem nocte, qua Domesticis suis exultabundus, primos de illo nuncios retulit, manifestam diuini Numinis iram in seest expertus.

Repente enim lingua quæ maximè in hoc negotio deliquerat, obrigit, membra omnia artusque retracti, & corpus totum in vnum veluti globum conuolutum est.

Agnoscent Amici & præsertim Coniux eius, pijsima femina, Dei & Sancti Maximini manum: hominem instanter horrantur, ad Sancti Maximini tumulum festinet, veniam delicti postulet, suas res Sancto restituat.

Fecit quod suadebatur Megingandus, ante aram & Sacrum Diui Præfulis Corpus, informis globus deuolutus, corde magis quàm lingua (quæ sibilos pro verbis formabat) iunctis Religiosorum precibus veniam ac sanitatem simul petit, simul obtinuit. Monasterio statim sua omnia reliquit, rei gesta seriem Arnulpho Imperatori palàm ad Dei sanctique gloriam enarrauit.

Cui Sancto maius etiam beneficium Megingandus acceptum retulit, quod exinde in virum alium mutatus, religiosam ac Sanctam duxerit demum vitam; referunt ista Sigehardus, Nonilanius, Annales nostri & alij. *Sigehardus pag. 87. 88. Nonilanius pag. 28.*

Aliud affine addo ex ijsdem auctoribus. Gisilbertus ex Francorum Regum Stemmata Dux in Lothariensi regno & Belgis potens, Carolo simplice Rege dissimulante Abbatiam S. Maximini usurpauit circa annum DCCCCXXVIII. iuuenis animo magnus, varius & inconstans, adhæc opum prodigus, in militem quæuis erogabat, atque inter illa Monasterij quoque prædia eovsque, vt portionem Religiosorum alimentis assignatam, non modicè decurtaret.

Tantis malis & oppressionibus Religiosus Cætus remedium aliud non reperiebat, quàm consuetum in quibusuis aduersis perfugium & S. Maximini patrocinium. Ad illum Sanctum vota, preces, gemitus, corporis pœnas direxerunt, & mox auxilium admirandum adfuit.

Nocte concubia altum dormienti Guilberto adstitit S. Maximinus, irato vultu, minacibus oculis, manu flagello armata. Hominem deinde affari, exponere quis sit & cuius causâ venerit; tum acerbis verbis increpare, præteritam vitam exprobare, præsertim impietatem, Tyrannidem & oppressionem sacrae familiæ suæ, ac denique extento brachio, grauitè flagello cedere, densaque toto corpore plagas infligere & ingeminare.

Experrectus & excitatus flagelli ictibus Gisilbertus altum clamat, ac sub cedentis manu euulat; famulis ad vociferationem eius concurrentibus iuuentis Scapulis à tergo impressas plagas ostentat, mox ad Sancti Maximini tumu-

lum supplex accurrit, veniam à Sancto & Religiosis petit; Monasterium in integrum restituit, damna illata compensat, dona alia magna illi largitur, & quod caput est Electionem noui Abbatis Ogonis, quam antehac sua usurpatione impediuerat, procurat. Ogoni Abbati deinde, quid à S. Maximino & quam ob causam passus sit, exponit, eaque correctione ita profecit, vt emendatis omninò prauis moribus, non modo S. Maximino, vt dictum est, alijsque Ecclesijs ac Monasterijs amplissima donaria elargitus sit, verum etiam votum DEO fecerit & statuerit, si Coniugi (quam non ita pridem duxerat Gerbergam Henrici I. Regis Germanici filiam) superstes esset, contemptis rerum humanarum ludibrijs, intra Monasterij alicuius claustra se abdere & Deo soli viuere.

Henricus IV. Imperator, dictus Senior pagos duos duntaxat Suabheim & Ebernesheim Monasterio subtractos alteri in beneficium seu feudum contulerat; sed magno illi stetit: mox enim graui morbo afflictus sensit pœnam ab irato Numine immisissam; atque vbi primum facti pœnituit, & S. Maximino pagos suos restituit, malo liberatus est, prout ipsemet Imperator Diplomate solemnem eam in rem expedito Spiræ VII. Kal. Aprilis Anno MCI. toti mundo patefecit. Diploma habes sub Num. 29.

Similia multa ex Historijs cæris & nostris Annalibus adferri possent.

Ex omnibus hactenus dictis toti mundo manifestum erit, iura Monasterij S. Maximini Pontificum Imperatorum Regum ac Summorum Tribunalium Decretis, Sanctionibus & Sententijs solidissimè stabilita, iustissimè ab inuictissimo Imperatore, ac ab Hispaniarum Rege Catholico defensa, atque ab ipso Deo & Sanctis, si quando humana protectio deficeret, mirabili modo conseruata & restituta.

Crede veritati, quam sine fuce, atque omni acrimoniâ, vt aliud exigere videbantur tua conuitia, clarè demonstraui: deferuescat animus tuus & affectum veritas, ac ratio vincat. Bonum est & salutare veritati palmam concedere, quod te quoque facturum sperare velim in nomine Domini, SS. Maximini, Agritij, Nicetij, Basini ac aliorum Sanctorum apud nos quiescentium Patronorum, Amen.



